

Balduin, Anton

In naturalem philosophiam veterum ac recentiorum philosophorum Theorematum
quadringenta quadraginta

Ingolstadii 1577

4 Diss. 1208#Beibd.15

urn:nbn:de:bvb:12-bsb00031248-8

VD16 B 201

15.

IN NATVRALEM
PHILOSOPHIAM VETE-
RVM AC RECENTIORVM PHI-
LOSOPHORVM THEOREMA-
ta quadringenta qua-
draginta,

JN INCLYTA ET CA-
THOLICA ACADEMIA INGOLSTA-
dienſi, Anno M. D. LXXVII. Die XXV.
Junij, & ſequenti, publicè pro-
poſita:


P R A E S I D E
R. P. ANTONIO BALDVI-
NO SOCIETATIS IESV, PHILOSO-
PHIÆ PROFESSORE ORDINA-
rio, & Facultatis Artium protem-
pore Decāno:

R E S P O N D E N T I B V S
DOCTISSIMIS IN PHILOSOPHIA
C A N D I D A T I S,

Ioachimo Geilero Monacensi	IN LI- BROS	Physicorum.
Dauide Clostermair Monacensi		De Cælo & Mundo
Georgio Fasoldo Ingolstadiensi		De ortu & interitu
Valentino Prochlio Lippensi		De Anima.

INGOLSTADII, Ex Officina Vvcissenhorniana.

21 TEMPLI AD
SIBYLLE



AD ILLVSTRIS-
SIMVM PRINCIPEM
AC DOMINCVM, D. FERDI-
NANDVM, SERENISSIMI ET CATHOLI-
ci Ducis ALBERTI filium, Comitem Palatinum
Rheni, ac vtriusq; BAVARIAE Ducem, &c.
Dominum clementissimum.



NTIQVISSIMVS ILL E MERCVRIVS
Aegyptius, quem Græci, quod summus Philosophus,
summus Rex, summus Sacerdos esset, *τρισμέγιος*, hoc
est, ter maximum appellarunt, haud iniuria, FERDI-
NANDE Princeps Illustrissime, in ea Disputatione,
quam de Sapientia Dei grauissimam instituit, hominem
quidem terrenum, Deum esse mortalem; Deum vero
coelestem, hominem esse immortalem, affirmauit. Videtur enim vir omni
laude clarissimus, inuenire nihil accommodatius potuisse, qui cum homi-
nem compararet, quam huius vniuersitatis conditorem auctoremq; Deum.
Neque vero Deum, nisi cum homine solo conferendum est arbitratus,
propter summam similitudinis coniunctionem. Non longe abierimus. Pro-
fecto sanctorum nos literarum monumenta docent, in homine tantum ex o-
mni genere animantium atque varietate, formam ac imaginem diuinæ men-
tis impressam esse. Porro autem ut humanæ mentis aspectus ad tam excel-
lentis eximijq; muneric artificem conuerteretur, eiusdem hominis etiam
caussa, pulcherrimum hunc rerum dissimilium inter se consentientem orna-
tum constituit, mundumq; vniuersum est fabricatus. Quem ad finem? Ad
eum prorsus, ut datorum beneficiorum multitudinem ac magnitudinem
homines admirati, suæ erga Deum pietatis atque religionis minime obscura
documenta præherent, ac in numinis diuini amore nunquam non sibi con-
quiescendum putarent. Ceterum ita comparati natura sumus, ut, que animo
bona non cernimus, eoru perfundi suavitatem, nequaquam valeamus, non eam
modo vitam, qua alamur & augescamus, quæq; sentiendi facultatē cum bel-
luis cōmunē obtineat: verum etiam vim nobis cogitationis & rationis idem
ille præpotens rerum omnium Dominus, impertivit, qua sapiamus & in-
telligamus, omniumq; naturalium rerum ortus, proprietates caussasq; per-
scrutemur. Atq; vt proprius ad id, q; institutū est, accedamus, huius omnino

mundi pulchritudo velut eiusdam disciplinæ traditio censeri possit, quæ
nostros animos ad Dei Opt. Max. contemplationem, cultumq; sanctissimum,
maiorem in modum informare, atq; adeo inflammare debeat. Quod ipsum
ille sapientiae antistes Salomon disertis verbis indicare visus est, (Eccles. 17.)
Posuit, inquit, oculum eorum super corda illorum, ostendere illis magnalia
operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent; & gloriari in mira-
bilibus illius, ut magnalia enarrent operū eius. Ergo benignissimus parens
in rebus à se procreatibus, tanquā in naturæ libro quodā, semetipsum humanis
mentibus cognoscendum amandumq; proposuit. Ex hoc naturæ libro, quem
in Scholis, siue naturalem Philosophiam, siue Physicam nominant; nos in-
geniorum exercendorum gratia hasce Conclusiones, quibus res ut difficili-
mæ, sic etiam pulcherrimæ, quanta maxima perspicuitate fieri potuit, expli-
cantur, eruere studuimus. Quia verò hoc opus vnius humeris sustineri vix
sanè poterat, visum est Reuerendo atq; doctissimo Preceptorи nostro operæ
premium, si plures coniunctis viribus eandem Prouinciam obirent. Cum au-
tem hisce laboribus nostris querere autoritatem magnopere optaremus,
perquam opportunè nobis Illustriſſ. C. T. in mentem venit, cuius nomine
ijdem in lucem aspectumq; hominum prodirent. Tu namq; Princeps Illu-
ſtris, sine controuersia vnuſ es, quem, quod omnes omnium bonarum ar-
tium literarūq; studiosos mirifice amplectaris, & aſcanis naturæ indagandis
ſis ſolertiſſimus, iure optimo singularem Patronū predican. Ut igitur hoc
qualecunque munus noſtrum, qua confueuisti benevolentia, complectaris,
etiam atque etiam rogamus. Deum autem Opt. Max. precamur, vt C. T.
nobis quam diutissime seruet in columem.

C. T.

Deditiſſimi clientes

Joachimus Gailerus Monacensis.
Dauid Cloſtermair Monacensis.
Georgius Fasoldus Ingolſtadiensis.
Valentinus Prochius Lippensis.

THESES PHILOSO-
PHICÆ IN OCTO LIBROS
PHYSICORVM.

De PHILOSOPHIA in communi.

CONCLVSION PRIMA.

 VÆ APVD PRISCO SOPHIÆ STUDIO-
SOS SAPIENTIA vocabatur, Pythagora philosophante,
vocabuliq; Sapientis ambitionem fugiente, Philosophia
vocata fuit, studium seu amor Sapientiae; & qui sapientes vocabātur, Phi-
losophi, hoc est, amatores Sapientiae dici cœperunt.

2. PHILOSOPHIA M istam, rerum omnium, vt res sunt, co-
gnitionem definire, inq; partes ac instrumenta diuidere placet; illasq;
in Speculatiuas & Practicas distribuere.

3. Nomen & rationem Philosophiæ, speculatiuæ potius, quod prior &
præstantior sit, quam practicæ parti, attribuendam putamus.

4. Theoricae partibus, Physica, Mathematica & Metaphysica, inter
se collatis, naturæ ordine Metaphysicam, primâ, cognitione vero, omnium
postremam esse: Mathematicam autem naturæ & cognitionis ordine
Physicam præcedere dicimus.

De Philosophia Naturali.

5. PHILOSOPHIA Naturalis, quamvis inter speculatiuas di-
gnitate sit postrema, ea tamen ratione, charissima nobis esse debet,
quod & multò plura, quam alia quævis consideret, ac id nobis euidentius,
quam Metaphysica, utilius autem, quam Mathematica præstet.

6. OBJECTVM seu materia, cuius omnia, quæ in Physica traduntur,
sunt Principia, Passiones & Species, nullum aptius, quam CORPVS
MOBILE constituitur.

7. Cuins interna PRINCIPIA sunt materia & forma; externa,
efficiens ac finis: PASSIONES, terminata quantitas, locus, motus ac

DISPUTATIO IN

tempus: SPECIES autem, Cælum, Elementa, Mystra in anima, Plantæ & Animalia.

8. Inter quas species, quamuis Cælestè corpus principem sibi locum vindicet; natura tamen Hominis, quæ per Animam rationalem, beatis mentibus est similis, quaq; in uno supposito cum diuina natura in Seruatore mundi singulariter coniuncta est, Cælo longè est præstantior.

9. Cùm Naturalis Philosophia omnes conditiones, quæ in scientia requiruntur, contineat, non immerito inter scientias perfectas, & primas Philosophiæ partes enumeratur.

10. Nihilominus totam illam, quam ab Aristotele accepimus, Physicam, quòd in ea multa falsis, plurima probabilitus solum rationibus innitantur, perfectam scientiam nominare non audemus.

11. Quamuis autem rerum naturalium scientiam haberi fateamur; eam tamen non specie, sed tantum genere, vel analogia vnam esse concedimus.

Ex primo Physicorum.

12. **N**ON sibi contradicit Aristoteles, cùm primo Physico. tēx. primo cognitione rerum naturalium, ex earum Principijs, Causis vel Elementis (quæ tria pro eodem sumit) venandam; & tēx. secundo à notioribus nobis, & confusis initium sumendum esse docet.

13. Licet, ea quæ caussam habent ex earundem cognitione, sciri debeant; non tamen qualemcumq; rerum notionem ab omnibus causis dependere, necesse est.

14. Etenim ad nudam rei quidditatem cognoscendam, prædicata essentialia; ad accidentia verò, caussas immediatas cognouisse satis est: Perfecta tamen rerum cognitio, omnium caussarum præcognitionem requirit.

15. Nec etiam Caussarum omnium æqualis usus est in omnibus scientijs: Ut enim res suas Physicus per omnes caussas demonstrat; sic Mathematicus nullam propriè dictam caussam suis demonstrationibus inferit; Metaphysicus verò, reiecta materia, tribus reliquis maximè uitetur.

16. PRIMA NATURALIVM PRINCIPIA inquisiturus Aristoteles, eas antiquorum sententiam, qui illud unum tantum esse dixerunt, merito reiicit: Qui verò plura statuerunt, ut eos in eorundem assignatione.

LIBROS PHYSICORVM.

gnatione vel numero condemnat, sic quod omnes contraria voluerint esse
Principia, multum commendat.

17. Quamvis autem his omnibus præferat eos, qui Contrarijs, subiectum
aliquid, tāquam tertium Principium subiiciendum existimārunt; omnes
tamen, quod primas rerum contrarietates ignorauerint, maximè culpan-
dos esse statuit.

18. Cūm principia nec ex se mutuò, nec ex alijs; ex ipsis autem omnia
fiant, rectè Philosophus, rerum naturalium Principia contraria esse asse-
ruit: Siquidem has easdem proprietates Contrarijs primis optimè conue-
nire constat.

19. Quod autem omnia ex Contrarijs fiant, ex illo Principio; quod non
in quodvis quodlibet agat, nec quodlibet à quouis pati aptum sit, neque
ex quibuscumq; quidvis fieri; verè deduxit Aristoteles.

20. Illud autem Principium, quod non primò quodlibet ex quouis gene-
retur, nec in quodlibet corrumpatur; in omni mutatione, tam simplici,
quām composita, locum habere cum eodem existimamus.

21. Generationis rerū naturalium, Principia esse plura vno, nec tamen
infinita; plura quoq; duobus, nec tamen plura tribus, scilicet Materiam,
Formam ac Priuationem, disertis verbis idem probauit.

22. Horum duo priora, simpliciter Principij rationem fortiuntur; ter-
tium autem, quod non re, sed tantùm ratione, à materia, cui accidit, distin-
guatur, per accidens Principij nomen promeretur.

23. Licet Aristoteles cum antiquis Philosophis, tria rerum naturalium
Principia statuens, rectè senserit; falso tamen cum ijsdem, ex nihilo nihil
producere existimauit.

24. Siquidem in omni mutatione subiectum aliquod requiri existi-
mans, præter Contraria prima, Materiam quoque necessariam esse
docuit.

25. Ex quibus aperte colligitur, Aristotelem diuinam illam ex nihilo
creandi vim, primamq; corporum productionem, quæ tamen naturali lu-
mine cognosci potest, ignorauisse.

26. Potest autem CREATIO hunc in modum definiri: Totius rei ex
nihilo, à prima causa immediata producio.

27. Rerum naturalium Principia traditurns, recto ordine M A-
TERIAM,

DISPUTATIO IN

TERIAM, quæ tanquam sinus ac receptaculum formarum, omni transmutationi subiicitur, primo loco declarauit.

28. Ex multiplici acceptione Materiæ, illam h̄ic potissimum considerat Philosophus, quæ quod primum rerum naturalium principium sit, ac elementum, Materia prima dicta est.

29. Hanc primam Materiam esse, licet multis argumentis astruatur; illud tamen mutua primorum corporum transmutationes pulcherrimè declarant.

30. Idem quoq; MATERIAM PRIMAM substantiam (licet imperfectam) esse, atq; subiectum primum, ex quo inexistente per se res fiunt, & in quod ultimò resoluuntur, manifestè edocuit.

31. Materia prima propriam habet Existentiam entitati suæ conuenientem, qua licet eadem numero diuersis formis substare, non tamen hac sola seorsim à formis, naturæ viribus subsistere potest.

32. Non placet nobis eorum sententia, qui rerum omnium quidditates seu formas in Materia existere, eidemq; coæquas esse arbitrates, per Generationem earundem, solam Existentiam acquiri dixerunt.

33. Nec illis assentimur, qui toti Materiæ adæquatam quandam substantialem formam corporeitatis, quæ cum materia corpus substantiale constituat, inesse asseruerunt.

34. Materiæ nihilominus Interminatas Dimensiones congenitas dicimus, ut varias in diuersis suis partibus formas suscipere, & partium quælibet vicissim maioribus ac minoribus terminis subiici possit.

35. Materia secundum naturam suam spectata, præcipue ad formam; secundum agentis intentionem, ad compositum; at verò ratione transmutationis, intrinsecè quidem ad formam, extrinsecè autem ad agens naturale refertur.

36. Ex duplice materia P O T E N T I A illa tantum de essentia illius iudicanda est, quæ materiæ per se sumptæ inest, quantum prima, tum remota seu confusa dicitur; illa verò, quæ eidem inest, quæ iam actu alieni transmutationi, vel ad formam dispositioni subiicitur, quæ secunda & propinqua appellari solet, minimè.

37. Prima porrò Potentia unica est, nec à materia secundum rem distinguita; estq; ut illa, ingenerabilis & incorruptibilis; secunda verò potentia

potentia & Formarum substantialium multitudinem emetitur, & re à Materia distincta, & instar propriarum cuiusq; Formæ dispositionum, generabilis est & corruptibilis.

38. Materia est in potentia ad omnes Formas, quarū aliæ sunt Specificæ, alie Individuantes; illæ certo numero definitæ, omnes actu in mundo existunt, ad illasq; potentia Materiæ nunquam suo fine frustratur; hæ autem nullo certo numero comprehensæ, omnes actu in mundo existere non possunt, adeasq; potentia Materiæ suo fine frequenter destituitur.

39. Licet FORMÆ nomen a ratio, tam primæ seu infinitæ Formæ, quam Formis secundis & finitis, Metaphysicis scilicet Mathematicis & Physicis accommodari possit; Philosophus tamen hic solam Physicam, substantialem & materialem Formam considerat.

40. Esse verò huiusmodi materiales Formas, ex rerū naturalium generatione, cōpositione, diuersitate, necnon earundē operationibus edocemur.

41. Huius FORMÆ naturam Aristoteles pulchrè exposuit, cùm eam actum, terminum, rationem, quod quid erat esse, speciem, exemplar, ènterexx, diuinum & appetibile bonum appellauit.

42. Quam, pulchriùs clariusq; nonnulli, Participationem primi actus in Materia; alij, Diuini exemplaris imaginem, in Materia expressam, definiuerunt.

43. Cùm porrò Formam hanc generationis primum Principium, & naturalis Compositi partem esse cōstet, eam simplicem ac imperfectam quandam substantiam esse, necesse est.

44. Omnis Forma vi agentis naturalis educata de potentia Materiæ, vna cum suo composite corruptibilis est, neque seorsim extra Materia subfistere, vel generari potest.

45. Et quia Forma naturalis dimensionibus caret, ex se quoq; diuisibilis non est; quia tamen Materiæ quantæ coextendit, per eam materialis Forma diuidi potest.

46. Nulla singularis Forma distinctis subiectis, nec simul, nec vicissim inesse potest; Generica tamen actu in plures species dispersa est.

47. Forma specifica corruptibilium licet in uno & singulari subiecto perfectè subsistere possit; ex se tamen pluribus & distinctis Materiæ partibus (quod in uno Singulare perpetuo subsistere nequeat) cōmunicabilis est.

48. Quamvis eadem Forma naturalis triplicis caussæ vim habeat, Finis, Formæ & Efficientis; primo tamen ipsius Finis, secundo Formæ, tertio caussæ Efficientis virtutem exequitur.

49. Licet Materia tempore & duratione prior sit qualibet Forma generata; haec tamen nobilitate ac perfectione Materiam antecedit: Ipsa enim Materiam ad certam entis speciem gradumq; determinat, eiusq; potentiam actuans, & ex plens appetitum, unitatem ei ac distinctionem Prædicamentalem elargitur.

50. Nullam Formam substantialem immediate, sed omnes mediantibus accidentibus, & alias mediantibus subordinatis substantialibus Formis, Materiæ primæ viri existimamus.

51. Quoniam Forma, naturâ, non tamen tempore, prior est Composito; ideo quodammodo ignobilior, quodammodo vero nobilior ipso, Forma dici potest.

52. A sola Forma Unitas generica ac specifica composite aduenit; Unitas autem numerica licet præcipue à forma oriatur; tamen à materia desumi potest. Existimamus nihilominus in eodem Composito numero, multas Formas sibi inuicem subordinatas, inesse posse.

53. Cum EXISTENTIA quædam sit indeterminata, quæ Materiam, alia determinata, quæ Formas consequitur; duas ad minimum in re qualibet naturali existentias reperiri constat. Tertiam vero ab his realiter distinctam existentiam, quæ compositi propria sit, ut etiam tertium essentiam eiusdem, non recipimus.

54. PRIVATIO ut est Generationis Principium, seu terminus à quo, definitur: Absentia Formæ naturalis in Materia ad eam recipiendam idonea, quæ licet eadem res sit cum Materia, ab ipsa tamen ut Principium est, formaliter distinguitur.

55. Quamvis res naturales aliam, quam Materiæ primæ congenitam QUANTITATEM non habeant; eam tamen res singulae à Formis proprijs, terminatam, & res Animatæ, certis figuris affectam, possident.

56. Vnde licet Quantitas absolutè spectata rationem infiniti admittat, neq; ut nudæ Materiæ cohæret, certa extensione aut figura internè continetur; sub Formis tamen substantialibus in natura existens, ab ijs, definitis terminis coercetur.

57. Hinc

57. Hinc est quod in Mundo non detur Corpus aliquod Infinitum; sed unum, quod sit omnium maximū positiū, & aliud quod sit minimum vel positiū, vel negatiū; in qualibet etiam specie rerum naturalium datur Maximum & Minimum.

58. Videntia siquidem, internè, sub certa magnitudine ac paruitate subsistunt; similiter quoq; Elementa, quæ tamen extrinsecus, sese secundūm molem, augendi vim illimitatam habent.

59. Partes rerum dissimiles, certam magnitudinem & paruitatem habent; similares verò partes, licet infra determinatam paruitatem in natura non existant, secundūm se tamen in infinitum sunt diuisibles.

Ex secundo Libro Physicorum.

60. POSTquam Aristoteles primo Physicorum libro, de internis generationis Principijs egit; in secundo de Principijs illis, quibus res generatæ subsistunt & cognoscuntur, asturus, recto ordine primo de NATURA agit.

61. Ex sufficienti igitur diuisione eorum quæ sunt, rectè hanc NATVRÆ definitionem colligit: Principium ut id moueat & quiescat, in quo primò per se, & non secundūm accidens inest.

62. Natura verò de Materia & Forma dicitur; ex his autem composita, Habentia naturam; hæc quoque, & horum Passiones, Naturalia, seu secundūm naturam, vocantur. Esse autem naturam, demonstrare, cùm hoc manifestum sit, superfluum esse docet.

63. Licet Aristoteles res naturales ex differentia ab artificialib; & Mathematicis, potissimum collegerit; pluribus tamen de causis res aliquæ NATURALES dici solent: Quædam enim quod voluntario, quædam quod violento, quædam quod supernaturali, quædam quod fortuito, quædam deniq; quod ijs quæ ab animo fiunt, opponuntur, naturales dicuntur.

64. Cùm Formæ ARTIFICIALES ex potentia Materiæ propriè non educantur, nec alicuius motus sint Principium, eas realiter à subjectis suis differre, non existimamus.

65. Naturæ definitio Priuationi non conuenit; de Materia verò & Forma analogicè dicitur.

66. Tam Animæ in communi, quam Animo rationis participi, Naturæ

definitio conuenit: Et licet Terræ Elementum semper quiescat, & Cœlum semper moueat; utraq; tamen Naturam habere dicenda sunt.

67. Quamuis Natura omnis internimotus sit causa & Principium; nō tamen eadem ratione in omnibus: Ut enim omni, quod naturaliter mouetur, Passuum illius motus Principium insit; nulla tamen res in se Principium Actuum suæ generationis habet, nec corpus simplex Principium Actuum suæ corruptionis.

68. Mista corpora, homogenia quidem interne, ab Elemento prædominante dissoluuntur; in heterogenijs etiam vna pars alteri, atq; adeò toti composito, internacionem afferre potest.

69. Quæ propriè augmentur & decrescunt, internum Principium suæ accretionis & decretionis habent: Animalia quoq; tam Actuum, quam Passuum Principium motus localis in se continent.

70. CAUSSA est, quæ ad constitutionem effectus, in suo quæq; genere concurrit, per se, ac principaliter, quarum quatuor tantum, Materia, Forma, Finis & Efficiens enumerantur ab Aristotele.

71. EXEMPLARIS enim Causa ad Formam seu Finem reduci potest, sicut & instrumentalis, ad illud genus Causæ, cuius est instrumentum. Nomen autem Causæ Formæ præcipue conuenit.

72. MATERIAE caussandi ratio est, esse id, ex quo fit & constat compositum, ex cuius potentia Forma educitur, & à quo recipitur & sustentatur.

73. FORMÆ verò, tum Materiam determinare, tum etiam dare composito quidditatem, ipsumq; incerto gradu ac specie Entis constituere.

74. EFFICIENTIS porrò caussandi modus est, esse primum & immediatum Principium motus Physici: FINIS autem seu boni, est dare mensuram, modum & ordinem medijs, quibus ad ipsum tenditur, esseq; illud, gratia cuius Efficiens, quod ab ipso Metaphoricè tantum, mouetur, amore videlicet & desiderio, operatur.

75. Finis proinde & Efficiens, societatis vinculo inter se necessario copulantur; quamuis primum Efficiens & ultimus Finis prorsus idem sint.

76. Est autem Finis duplex; Vnus agentis, alter actionis eius: Posterior est Forma seu terminus motus, qui ab agente quo (ut pote effectus eius) ignobilior est, primo non intenditur. Prior Finis non per motum fit, sed imitatione seu possessione sola acquiritur, & hic principalis est, & quo quis agen-

LIBROS PHYSICORVM.

agente nobilior; Caussat verò Finis, secundum esse reale futurū, seu possibile, mediante apprehensione agentis principalis.

77. Materia & Forma, & à se inuicem, & à reliquis duabus Caussis dependent: Caussæ item particulares ab vniuersalibus, sicut & hæ vicissim ad operandum indigent particularibus. Effectus porrò partim his, partim illis diuersaratione plus debet.

78. Licet Principalius agens, Caussam Vniuersalem esse concedamus; nihilominus tamen Naturam particularem mere instrumentalem esse negamus. Siquidem effectus, qui ab vtroq; agente producitur, in gradu, specie & conditione, atq; adeò in operatione, agenti particulari assimulatur; quo etiam partim ignobilior es, partim verò minimè. At verò, Agens vniuersale, quouis effectu particulari nobilius es.

79. Idem effectus numero fieri potes à multis caussis diuersi generis, vel etiam eiusdem generis, inuicem subordinatis; Vel à pluribus immediatis, quæ simul vim vnis caussæ perfectæ habeant; non tamen à multis causis eiusdem generis & proximis, quarum vnaquaq; ad effectus productiōnem sufficiens sit.

80. CONTINGENTIAM tam in caussis, quam in effectibus rerum naturalium dari, eamq; nec Diuinæ Prouidentiæ, nec Arbitrij libertati repugnare, contra Stoicos & Academicos, rectè docent Peripatetici.

81. Licet in naturalibus omne, quod producitur, aut impeditur, necessariò produci aut impediri concedamus; hinc tamen extra actiones liberi Arbitrij, nullam in naturalibus Contingentiam dari, non rectè à nonnullis colligitur.

82. Omnis Contingentia, tam eorum, quæ vt plurimum, quam quæ rarò, & ad vtrumlibet Contingentia dicuntur, ad Deum, vt principalem ac communem caussam, reduci potes.

83. Particulares verò caussæ Contingentiae in naturalibus sunt Materia, & quæ ipsi inhærent contrariæ qualitates; in liberis autem actionibus, ex inordinato affectu, defectu sensus, vel luminis naturalis intellectus, Contingentia oritur.

84. Quamuis Effectus Contingentes etiam dum per se sunt, internè adhuc Contingentes esse dicamus; externè tamen, & ex hypothesi eosdem non incongruè necessarios dici concedimus.

85. Cūm ideo in caußis Contingentia ponatur, quod aliqui effectus eadrum actiones, seu aspectum subterfugiant, ideo respectu primæ caußæ, nihil contingenter aut per accidens fieri, dicendum est.
86. Respectu secundarum causarum, multa passim contingenter, cœniunt; extra tamen actiones liberi arbitrij, respectu cœli nihil contingenter accidit.
87. FORTVNAM, quæ est causa per accidens, in hisce, quæ per electionem alicuius gratia fiunt, in natura dari, nihil prohibet; et si respectu diuinæ prouidentiæ, nulla detur, nec in ijs, quæ ad utrumlibet fiunt, proprie reperiatur.
88. CASVS est inopinatus ex confluentibus caußis euentus, in ijs, quæ propter aliquem Finem geruntur, in eo differens ab effectu fortunato, quod hic in ijs tantum, quæ dominium suarum operationum habent; casus verò in ijs, quæ solo naturali instinctu operantur, propriè contingit.
89. MONSTRVM dicitur peccatum Naturæ ob aliquem finem agen-
tis, quo tamen frustratur, aliquo Principio corrupto aut impedito. Seu:
Monstrum est vitium Naturæ deficiens à suo Fine, ob aliquid impedimentum raro contingens.
90. Monstra, quæ partim à Casu fieri, dici possunt, partim minimè, in Elementis non reperiuntur. Quoniam verò Plantarum, & Aquati-
lum Monstra minùs nobis innotescunt, quam Animalium terrestrium, in
his plura Monstra, quam in Plantis reperiri, non iniuria dici potest.
91. FATV M est inhærens rebus mobilibus seu caußis secundis dispo-
sitio, per quam diuina prouidentia, suis quæq; neglectis ordinibus. Interdum
tamen Fatum pro ipsamet diuina prouidentia sumitur.
92. Fatum in natura dari omnes concedunt; repugnat nihilominus ve-
ræ Philosophiæ, Fatum rebus omnibus, etiam liberis actionibus, necessita-
tem imponere.

Ex tertio Physicorum.

93. MOTVS, qui definitur actus Entis in potentia, prout in poten-
tia, in nullo certo Prædicamento per se collocatur; licet ad sui
termini Prædicamentum reduci possit.
94. Hanc definitionem Motus (quam Motibus vniuocè conuenire
nega-

LIBROS PHYSICORVM.

11

- negamus) licet solum mobili accommodasse videatnr Aristoteles, tamen etiam mouenti attribui potest.
95. Tota substantia Motus, termino à Quo, termino ad Quem, & subiecto continetur; tempus autem ut accidens Motum consequitur; Motor vero non tam ad essentiam, quam existentiam Motus requiritur.
96. Tertia operatio Intellectus, licet Motus propriè dictus non sit; Motus tamen definitionem ei posse accommodari concedimus. Eadem definitio motui Cæli, Violento, & Artificiali secundum quid; Generationi autem, quatenus cum prævia Alteratione accipitur, per se conuenit.
97. Proprietates Motus quinq, ex eius definitione colligimus; Motum esse continuum & successuum; non fieri in instante; Formam, quæ per Motum acquiritur, esse diuisibilem; mobile esse prius ipso Motu; Motum deniq, prima & ultima parte suâ carere.
98. ACTIO & PASSIO re ipsa unus Motus sunt, solumq, formaliter distinguuntur; vni quoq, subiecto, videlicet mobili, subiectuè inhæret.
99. INFINITVM quod tanquam Passio quædam, numero ac magnitudini tribuitur, illud est, cuius semper est aliquid extrâ accipere.
100. Infinitum actu, neq, magnitudine, neq, multitudine, in natura dari, adeò verè demonstrauit Aristoteles, vt nec per ullam potentiam fieri posse existimemus.
101. Infinitum tamen potentia tam magnitudine, quam multitudine concedit Philosophus; Continuum siquidem in Infinitum minui, non tamen augeri; numerus autem Infinitè augeri, sed non minui potest.

Ex quarto Physicorum.

102. R ECTE Aristoteles LOCVM, superficiem, seu terminum corporis continentis immobilem, definiuit.
103. Loci huius proprietates sunt: Continere locatum, & esse æqualem ipsi: Trahere ad se, conseruare, ac perficere locatum: Nunquam esse sine corpore: Esse, aut sursum, aut deorsum: Dare unitatem & distinctionem motui locali: Esse immobilem.
104. Cum propter locale Motu, de Loco egerit Arist. definitione & proprietates Loci, sibi Loco naturali corporū rectorū cōuenire, existimamus.
105. Cælum, quod interne terminatam quantitatatem habeat & substantiam

DISPUTATIO IN

12

tiam perfectissimam, loco, quo figuretur, continetur & conseruetur, non indiget. Similiter cum ad nullum locum, in quo quiescat, moueat, sed tantum circa medium aut Centrum voluatur, hoc proprium eius locum esse dicimus.

106. VACUUM, seu locus omni corpore priuatus, in natura non reperitur; si tamen per aliquam potentiam dari contingere, nullum in eo corpus recte motu cieri posse, cum Aristotele existimamus.

107. TEMPUS, quod continuatatem motus, seu passio quedam consequitur, definitur, Numerus Motus secundum prius & posterius.

108. Cum absq; numerante definitus partium numerus in motu non sit, Tempus absq; animo non esse, recte afferuit Aristoteles.

109. Licet Tempus sola ratione à Motu distinguitur; non tamen sicut plures motus, ita etiam plura Tempora eidem simul inesse contingit.

110. Quoniam solus Motus circularis idem numero, secundum Philosophum uniformis est & sempiternus; quamuis omni motui tempus inhæreat, illi tamen frequenter, tanquam principali subiecto, non immerito tribuitur.

Ex quinto Physicorum.

111. MOTVS successivi, ac propriè dicti, tres sunt, qui nimirum in Quantitate, Qualitate, & Vbi reperiuntur, & non in alijs Prædicamentis.

112. Fiunt autem inter TERMINOS contrariè oppositos, qui primò ac per se duo sunt; alter à Quo, & alter ad Quem; licet per accidens plures esse possint.

113. Nec putandum est recessum à termino à Quo, & accessum ad terminum ad Quem, dum simul fiunt, esse duos distinctos Motus, sed unicum tantum.

114. Ille Motus maximè unus est, qui fit in uno subiecto, uno tempore, & ad unum terminum numero.

115. Motus autem contrarij sunt, qui fiunt inter eosdem terminos contrarios, estq; Motus re idem cum suo termino ad Quem.

Ex sexto Physicorum.

116. VT nullum aliud CONTINUUM, sic neq; Motus ex indis-

uisibi-

uisibilibus componitur, sed in perpetuo diuisibilia partiri, ex ijsq; compo-
ni necesse est.

117. Licet Motus Continuatio & Successio, ex partibilitate formæ vel
termini, qui acquiritur, vel mobilis seu subiecti, quod immutatur, vel tem-
poris aut medij, quod successiuè pertransit, desumi possit; localis tamen
motus per medium discontinuum, continuè fieri potest.

118. Cùm motus (utinam alia continua) per primam & ultimam sui
partem, non incipiat, neq; desinat; ea quæ natura sua per motum incipiunt
& cessant, similiter se habere necesse est.

119. Quapropter formæ omnes, quæ latitudinem habent, & magis ac mi-
nus suscipiunt, per ultimum sui non esse inchoantur, & per primum sui non
esse desinunt.

120. Quæcunq; verò in indiuisibili cōsistunt, per primū sui esse, incipiunt,
& per primum sui non esse, desinunt; cuiusmodi sunt omnes species figura-
rum, omnia superlativa, & quæ incipiunt per Creationem, quæq; in subie-
cto nihil resistente producuntur: Quædam deniq; eodem instante (cuiusmo-
di sunt, Mutata esse, in motu) incipiunt & desinunt esse.

Ex septimo Physicorum.

121. **O**MN E quod mouetur, ab alio moueri, nec non M O V E N S &
motum simul esse, rectè colligit Aristoteles.

122. Motus Alterationis per se tantum in qualitatibus sensibilibus, præ-
fertim tertiae speciei, rectè ab Aristotele constituitur.

123. Cùm simplex comparatio propriè tantum in formis eiusdem speciei
fieri debeat; Motus Localis rectus, Alterationis & Circularis, velocitate
primò inter se comparabiles non sunt.

124. Septem illa pronuntiata, quibus Aristoteles in fine huius libri vir-
tutes motiuas in mouendi velocitate ad inuicem comparat, rationi conso-
na esse dicimus.

Ex octauo Physicorum.

125. **Q**ONIAM in mouentibus progressum in infinitum dari ne-
gat Aristoteles, rectè octauo libro per æternitatē motus PRI-
MVM MOTOREM immobilem inquirere instituit.

126. Mundum autem motumq; æterna esse, licet Aristoteles sibi demonstrasse visus sit; veræ tamen Philosophiae id repugnare, & naturæ lumine & fide Christiana edocemur.

127. Quamuis D E V M O P T. M A X. non modò finem esse, sed etiam efficientem rerum æternarum ex mente Philosophi concedamus; minus tamen rectè, ex naturæ necessitate D E V M agere existimauit.

128. Ex suis Principijs congruè demonstrauit Aristoteles, Primum Motorem, ut moueat tempore infinito, magnitudinis experte esse debere.

129. Cui infinitatem durationis non ineptè quidem tribuit: Nos vero D E O O P T. M A X. etiam infinitatem vigoris tribuendam esse secundum veritatem definimus.

IN LIBROS DE COELO ET M V N D O.

C O N C L V S I O 130.

NTER EOS LIBROS, QVI DE CORPORE MOBILI in particulari, agunt, primum locum, qui de COELO inscribuntur, iure sibi vendicant; quorum subiecta materia est corpus simplex, mobile ad Vbi.

131. M V N D V S pro omnium entium aggregatione sumptus, simpliciter perfectus est, licet idem, si pro aliarum rerum à D E O, vel rerum corporearum complexu, vel pro Elementis, & ex ijs compositis, tantum accipiatur, & què perfectus esse non videatur.

132. Cæterum, quoniam perfectio Vniuersi seu mundi, triplici ordine contingetur, uno, quo in se; altero, quo ad hominem; tertio, quo ad D E V M ordinatur, dicendum est, Mundum illis tribus modis acceptum, perfectum esse.

133. Scientia de corpore Cælesti est naturalis, & ad Physicum pertinet. Probabilior nobis quoq; eorum sententia visa est, qui Astronomiam magis scientiam Naturalem, quam Mathematicam esse volunt.

134. Cæleste corpus ab Elementis, & ijs, quæ ex ipsis conflata sunt, diversam naturā sortitum esse, ac natura sua incorruptibile, pulchrè ostendit Aristoteles.

135. Licet

135. Licet Cœlum, propriè dictam materiam habere concedamus; eam tamen numero, atq; adeò specie, à materia horum inferiorum diuersam esse singulorum vero cœlorum materias, solum accidentalí perfectione differre, rationi consonum arbitramur.
136. Intelligentia cùm sit forma per se subsistens, non est forma informans cœlum, sed tantum assistens, & mouens illud.
137. Quamvis Cœlum habere Animam ex Aristotele colligi possit; illa tamen non est Vegetativa, nec Sensitiva, aut Intellectiva, informans illud; sed tantum dicta Assistens Intelligentia.
138. Nihil Cœlo innatum est, ob quod 6. loci differentiae, aut oriens aut occidens ipsi intrinsecè dicantur inesse.
139. Cœlum habet caussam efficientem, à qua, ob horum inferiorum productionem atq; conseruationem, effectum est.
140. Quantitas cœli absolutè spectata, eiusdē est rationis, cū quantitate corporū sublunariū; licet aliter in cœlo, atq; in his inferioribus subiectetur.
141. Estq; cœlum figuræ sphæricæ, durum, densum, diaphanum; qualitates tamen elementales, vt calor, frigus, siccitas, humiditas, in cœlo subiectiue non reperiuntur.
142. Quamvis secundum Aristotele, & omnes ferè Philosophos, Nullus Orbis ab interna virtute, vt grauia & levia, moueat, tñ nihil prohibet, quin cœlū, mediāte huiusmodi virtute, à D E O sibi ingenita, moueri possit.
143. De facto nihilominus Aristoteli, & omnibus ferè Philosophis atq; Theologis assentimur, cœlum effectuè ab Intelligentia assistente moueri.
144. D E V M O. M. esse Primū Motorem, primumq; mobile ab ipso effectuè moueri, & non solum tanquam à fine, rationi consonum iudicamus.
145. Ceterū, vt nec ad aliarum rerū, sic neq; ad motus productionem, actionem aliquam à primæ caussæ Volitione discrepantē, requiri, conuenit existimare, cùm hæc ipsa Volitio omnium suorū effectuū sic producio.
146. Virtutem illam, qua Intelligentiæ inferiorum Orbium, motus exercent, realiter ab earum Intellectu, ac Voluntate distinctam non esse, arbitramur.
147. Quapropter, licet tam ratione partium, quam ratione oppositioris terminorum, nec non motū contrariorum, cœlestibus orbibus, aliqua resistentiæ ac fatigationis caussa inesse videatur; quia tamen virtus

motiva intelligentiae incorporeae est, cœli motus infatigabilis est, & ex se semper natus esse potest.

148. Licet Motus cuiuslibet Orbis Regularis sit, & semper aequali velocitate perficiatur; ratione tamen diuersorum Orbium, contingit Astra non semper eodem tempore aequalia spatia percurrere.

149. Inferiores Planetæ, quamvis superioribus velocius suos circulos perficiant; illos tamen his tardius moueri, ex superiorum orbium quantitate, non ineptè collegerunt Astronomi.

150. An verò harmoniam reddant, cœlestium inter se orbium motiones? ex antiquis affirmant multi. Verum sicut à sensu huiusmodi concensus non percipitur, nec ab ipsis firma ratione stabilitur, concedendum est non censeo.

151. Utrum Orbis Excentrici & Epicicli in Cœlis concedi debeant, non immerito dubitari potest. Nos quia motionum diuersitatem per eosdem optimè explicari videmus, aliquid ijsdem in Cœlis respondere credimus, nec huiusmodi orbium positionem, Philosophiæ decretis nulla ex parte aduersari.

152. Non ut Cœlum moueri possit, sed ut actiones eius efficacius in his inferioribus imprimantur, Terram quiescere existimandum est.

153. Motus localis formaliter, ac per se non calefacit, sed per accidens, quatenus est medium, quo per attritionem, calor è mistis corporibus elicetur.

154. Hinc fit, localem cœli motum, non aliter hæc inferiora calefacere, quam astra suo lumine calorem excitantia, per elementarem mundum circumferendo.

155. LUMEN verò non corpus, nec substantia spiritualis aëri assistens, nec forma substantialis diaphani; sed qualitas realiter subiectum afficiens dicenda est.

156. Porro Subiectum Luminis est corpus diaphanum; caussa efficiens est corpus illuminans; finis denique non modo visionem, sed etiam, productionem, gubernationem, conseruationemq; horum inferiorum adiuvare.

157. Illud autem rationi videtur valde consentaneum, omnes quidem orbis huic mundo mortali conseruando e modo conuenire, ut calorem possint suo lumine producere; alios verò multiplices effectus non nisi vi, quam ab In-

ab Intelligentijs, quando eis instrumentariam operam subministrant, sortiuntur.

158. Non negârim igitur, quin ut Orbis alij ab alijs intelligentijs cier-
tur, ita singuli varias virtutes nanciscantur, qua quidem ratione rebus
humidis generādis, Lunam, calidis verò Martem, &c. præficere possumus.

159. Nullius Qualitatis præsidio, sed per se, & suapte natura Lumen
Calorem efficit; nec ad hoc radiorum reflexionem requirit; quamuis lu-
men reflexum magis quam directum calefaciat.

160. Neq; præter Lumen alias Occultas virtutes, seu Influentias, quæ
ab Astris in hæc sublunaria effundantur, agnoscimus; sed solo lumine di-
uerso modo ab intelligentijs directo, hæc inferiora à superioribus gubernari
existimamus.

161. ACTIO CœLI quamuis non simpliciter, tamen necessitate
naturali, ad mundi huius gubernationem, quo ad operationes naturales,
præsertim viuentium, necessaria est.

162. Præsertim verò calore suo grauiora Elementa extenuando, & è
locis naturalibus eleuando, ad eorundem mutuam alterationem, ortum,
& interitum, & in mista concretionem effectuè concurrit.

163. Sublato locali motu cœli, generationes & corruptiones horum in-
feriorum, adhuc permanere posse; non tameneo, quo nunc ordine, tempo-
rumq; vicissitudine, nec ijsdem locis, arbitramur.

164. Cœlum, cùm secundum se totum moueat, non iniuria poli, quod
vel partes cœli, vel partibus continuatæ extremitates existant, verè mo-
ueri dicendi sunt.

165. Ex motuum diuersitate in Cœlis obseruata, Decem cœlos, quorum
aliqui ex pluribus orbibus integrantur, rectè collegerunt Astrologi.

156. Licet Astrorum inter se Quantitatum, motuumq; Proportio, præ-
cisè cognosci nequeat; Astronomia nihilominus, scientiæ perfectionem ne-
gandam esse, non putamus.

167. Pulchra est inter Latinos & Arabes controuersia: Vtrum orbes
specie ac natura dissideant. Mihi magis ea probatur sententia, quæ illos
specie differre profitetur.

168. Stellas antiquorum quidam igneas esse, vel lignitos lapides cœlo
affixos; quidam verò foramina orbium existimabant, per quæ lumen no-

bis à primo corpore luminoso perfertur; alij easdem mundos, & animarum separatarum domicilia dicebant; sed doctissime omnium Peripatetici patres orbium esse densiores, & lumine magis insignitas statuunt.

169. A stellis Philosophantes plerique omne lumen auferunt, id Soli dundat, tanquam fonti tribuentes, à quo lumē cæteris cōmunicari profitentur: Alij verò omnibus suum ita tradunt, ut à Sole nihil desiderare fateantur.

170. Ego in hac re elegantium Philosophorum sequens exemplum, assevero stellas omnes proprium, sed ex ille, lumen retinere, ita tamen ut eiusdem incrementum à Sole consequantur.

171. Stellarum numerum inuestigare, quamvis ratione Philosophica non sit possibile: Astronomi tamen septem errantes (sic enim Planetas vocant) & circiter 1022. firmamento infixas enumerant.

172. Cùm partes rerum simplicium soleant figura suum totum emulari, stellas figuræ circularis esse conuenit, quod ex illustratione lunaris corporis facile colligitur.

173. Stellæ firmamenti non eo solum, quod à nobis longissimè absint, sed etiam quod velocissimè cieantur, aspicientibus micare, seu vacillare videntur.

174. Si postremò queratur, quid maculosum & peculiare in Luna contuemur? Prætermisis aliorum sententijs, cum Aristotele respondemus; id quidem ex varia partium naturalium densitate ac raritate prouenire.

IN LIBROS DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE.

CONCLUSIO 175.

VAM POSTREMIS LIBRIS DE Cœlo, Elementorum doctrinam inchoauerat Aristoteles, hoc opere, quod ab Ortu & Interitu nomen accepit, persequitur: Corpus proinde Elementare librorum istorum subiectum rectè constituitur.

176. Hilibri præcedentibus ita connectuntur, ut quemadmodum in libro de Elementorum motu locali egit, ita hic de Generatione, Alteratione & Mutatione, quæ primò Elementis insunt, priusquam eorundem substantias explicet, communem sermonem instituant.

177. Licet

177. *Licet autem omnia, quæ natura constant, à suo interitu quàm maximè abhorreant; recte nihilominus Corruptionē affectionem naturalem esse, Aristoteles edocuit.*
178. *Mutuæ primarum qualitatum actiones, quoniam eò potissimum sunt à natura institutæ, ut formam substantialem è potentia materiae elicant; optimè Aristoteles contra Empedoclem, negantibus Generationem, nullam esse concedendam Alterationem, afferuit.*
179. *Non eos solum antiquos, qui rerum vnicum tantum Principium constituere: Sed nec eos, qui (Platone excepto) plura rerum Elementa concesserunt, Generationem ab Alteratione verè distinxisse, bene Philosophus demonstrauit.*
180. *Quamuis tñx. 9. vbiuis, & in omni parte Lineæ Punctum esse docetur; ex eo tamen Lineam ex Punctis componi, aut in Linea Puncta sibi cohærere, minimè inferri potest.*
181. *Tametsi ex Priscorum quorundam mente, simplicem Generationem haudquaquam dari eliciatur; nos tamen Aristotele comprobante, & veritate compellente, sententiam oppositam firmiter seruamus.*
182. *Eam GENERATIONIS definitionem, quæ est transmutationis totius in totum, nullo sensibili remanente ut subiecto, seu quod subiectionem sortiatur, tanquam vero consonantem amplectimur.*
183. *Recte Aristotelem, cùm ait, vnius interitum esse alterius effectio- nem, & è conuerso, vnius procreationem alterius perniciem, afferuisse, indubitate tenemus; hæc autem vicissitudo, in primorum corporum transmutatione quàm maximè cernitur.*
184. *Nec præterit nos, difficultatem illam: Quidnam sit illud, quod generatur, acerrimis disceptationibus antiquorum memoria agitatam, hac nostra tempestate, non minore contentione sèpenumero redintegrari; nos & Philosophi testimonijs freti, & rationibus suffulti, id quod producitur, esse totum Compositum asseueramus.*
185. *Porrò non minus difficilis est controuersia: Præexistatne in omni generatione aliquod subiectum? nos generaliorem opinionem obseruantes, partem affirmatiuam esse recipiendam statuimus.*
186. *Quoniam naturali generatione, è materia forma substantialis educitur,*

citur, hominis productionem, non sequi communem generandi modum, existimamus.

187. In Simplicium corporum generatione, eandem numero qualitatem, quae in corrupto praetiterat, remanere posse, cum Aristotelis sentimus.

189. In Mistorum autem interitu, non solum qualitates, sed cum his quoque inferiores quasdam partiales, & subordinatas formas, cum materia aliquandi per seuerare tenemus.

189. Nullum propterea corpus naturale, usque ad Materiam primam denudari potest: Elementa siquidem in se inuicem; Complexa vero in simplicia corpora, ultimò resoluuntur.

190. Cadauer, quod nonnulli per nouam formam ex animante corrupto genitam constitui non rectè existimauerunt, nos solum denominationem priuatiam esse, probabilius putamus.

De alteratione.

191. **Q**UONIAM Contrariæ Qualitates duplicebus partibus crescere vel minui possunt, internis videlicet, ratione latitudinis, seu intentionis propriæ; & externis, ratione extensionis sui subiecti, secundum partes priores, qualitates intendi vel remitti, secundum posteriores extendi propriè dicuntur.

192. Proinde non rectè quidam huiusmodi partes non discernentes, intentionem qualitatum non per nouarum partium formalium acquisitionem, sed per solam qualitatis in subiecto radicationem, seu infixionem fieri existimârunt.

193. Siquidem ALTERATIO generationi substantiali subordinata, est ad qualitatem perfectam tendentia, seu qualitatis continua quædam acquisitione vel interitus.

194. Licet in Alteratione qualitatum, prima pars simul acquiri non possit; subiectum tamen totum, vel pars eius aliquanta, simul alterari, sicut & subiectum generationis totum simul informari potest.

195. Non placet opinio eorum, qui in qualitate partes non continuè sed discretè acquiri putantes, alterationem per multas quietes interrumpi existimarunt.

196. IN-

196. INTENSIO ET REMISSIO qualitatum non tam ex distan-
tia à summo gradu, vel à non gradu qualitatis, quām ex numero graduum,
seu partium ipsius aestimanda es; quae enim medietatem suæ latitudinis
excedit, intensa affectio dici potest.

197. Materia Intensionis & Remissionis propinqua, est ipsa qualitas;
remota verò, est subiectum ipsius; formalis ratio, absoluta quidē, est latitudo
qualitatis, respectiva verò partium excessus: Efficiens est agens victo-
riam suprà passum obtainens: Finis internus est perfectum esse, vel non es-
se qualitatis; externus verò, productio formæ substantialis, vel eiusdem
perfectior operatio constituitur.

De Augmentatione.

198. PRÆCLARE Philosophus Augmentationem in motibus pro-
priè dictis enumerandam esse, & ab Alteratione, Lationeque tam
modo, quām terminis, distinguiri afferuit.

199. Licet ACCRETIONEM definire Motum, seu extensionem vi-
uentis, factam per animam vegetatiuam, aliquo extrinsecus adueniente,
ut viuens ab imperfectiore ad perfectam quantitatem perductum, ritè
operari possit.

200. Non igitur Augmentationem propriè aggenerationem esse, eiusque
formalem rationem in acquisitione utriusque simul nouæ videlicet substan-
tiae, & nouæ quantitatis, consistere, existimandum est.

201. Viuens enim ea ratione solum augeri dicitur, quatenus posse ali-
menti conuersionem, interna virtute secundum omnes sui partes exten-
sum, maiores dimensiones acquirit.

202. Quamuis dum fit, Augmentatio continuò fiat; nihil tamen prohi-
bet, viuens aliquid, perfectam quantitatem suam, pluribus incrementis
interruptis consequi.

203. Accretionis motu, non solum corpus, seu materia Viuentis, sed et-
iam corpulenta forma ipsius, plures partes seu dimensiones acquirit, ea-
demque partiatim in decretione amittitur.

204. In Homine tamen nullæ partes animæ reipsa cum incremento aut
decremento acquiruntur, vel amittuntur; ratio tamen informandi ra-
tionalis

tionalis animæ, secundum Vegetandi ac Sentiendi facultates, incrementum & decrementum consequitur.

205. Licet dubium sit, num exigua Materia, qua in ortu suo Vnuens subsistebat, eadem in ipso ad finem usq; Incrementi perseveret; nos tamen eam in præcipuis partibus conseruari, existimamus.

De Rarefactione.

206. **A**B Accretione Rarefactio tam materia, quam efficiente & fini distinguitur, quod Accretio fiat per accessum nouæ materiæ ab anima vegetante, propter operationes, quæ in Rarefactione minime reperiuntur.

207. Cùm Extentio à Quantitate re diuersa non sit, raritatem & densitatem non quantitatis extensiones, sed distinctas ab ea qualitates sensibiles esse dicimus.

208. Rarum ac Densum, quæ omnibus corporibus vel coniunctim, vel diuisim conueniunt, hoc modo describi possunt: R A R V M est quod in pauca materia multam habet extensionem: D E N S V M quod in multa materia paucam habet extensionem.

209. Raritas ac Densitas, qualitates actiuae, neque passiuæ sunt, sed vel primas affectiones, vel motum localem consequuntur. Ex quo manifestè sequitur, rarefactionem & condensationem, in nulla motuum naturalium specie per se collocari.

210. Quoniam in naturalibus, Materia Quantitati semper coextenditur, in Rarefactione absque nouæ materiæ generatione plures solummodo partes materiæ explicari, maioresq; dimensiones acquiri dicendum est.

De Actione, Reactione & Resistentia.

211. **Q**VONIAM ACTIO aliud nihil est, quam formæ de potentia, virtute agètis eductio, eam tam secundum magis & minus, quam secundum speciem variari contingit, fitq; partim ratione similitudinis, si vel subiectum actionis, seu qualitas quæ producitur, vel finis, spectetur; partim ratione similitudinis, si efficiens consideretur.

212. Licet Actione spirituali aliquid in seipsum agere possit; Actione tamen

tamen Physica, secundum eandem partem, & per se, nihil in seipsum, sicut nec simile in omnino simile, agendi facultatem habet.

213. Agens naturale communicans eadem cum paciente materia, in agendo per motum localem, vel alterationem, à paciente (quod intra Sphæram actiuitatis suæ constitutum, virtutem ipsi proportionatam habet) repeatitur.

214. Cùm RESISTERE non sit agere, nec pati, sed tantum obstat, ne agens citò, aut multum, aut vt omnino nihil agat, non est existendum agens à sola subiecti resistentiarepati.

215. Porrò Actio, Passio, Reactio & Resistentia, non simul in omni actione reperiuntur. Datur enim actio sine reactione & resistentia; & passio materiæ sine actione, reactione & resistentia. Datur quoque actio & passio sine resistentia, vt in illuminatione; & actio, passio & resistentia sine reactione, vt dum calidum vt oclit agit in frigidum vt duo. Datur denique communis alteratio, in qua omnia simul conueniunt.

De Mistione.

216. MISTIONEM, quam Philosophus primo de Ortu & Interitu, t̄tex.com. vltimi miscibilium alteratorum vniōnem definit, non modò in natura possibilem, sed maximè necessariam esse, tam mistionis caussæ, quām Mistorum innumera varietas, vniuersi perfectionem cōstituens, manifestè declarant.

217. Non solum enim ex Misti præexistentis semine, sed ex recenti quoq; simplicium corporum commistione, noua Misti à natura produci, experientia quotidiana edocemur.

218. Materia porrò tam Mistionis, quām ipsius Misti sunt quatuor prima corpora, communiter Elementa vocata, quæ ad mistionem ita concurrunt, vt actu imperfecto, secundum formas substantiales, & qualitates, in misto perseverent; vtq; misti constituti pars quilibet ex quatuor Elementis consistat.

219. Sic enim in Mistione Elementa commisceri docet Aristoteles, vt neque integra permaneant, vt voluit Empedocles; neque relicta sola materia secundum substantiam corrumpantur, sed vt actione mutua,

corruptis ad inuicem formarum & qualitatum excellentijs , ex eodem absq; noua generatione denuo reparari possint.

220. Modus iste Mistionis ita declarari potest: Virtute solis Elementa è locis proprijs in vnum collecta, secundùm partes minimas se inuicem contingentia, quodlibet mediante actione qualitatum, cæterorum formas ex parte corruptens, partemq; propriæ formæ è materia singulorum educens, pariter symmetriam, seu complexionem aptam ad misti formæ productiōnem constituunt.

221. Ex his multiplex inter Mistionem & simplicem Generationem discrimen cernitur. Hæc enim primariò solis competit Elementis, pro subiecto habens non ens determinatum, scilicet primam materiam immediate, semper alterius interitum presupponit, & specierum æternitati inseruit: Misto verò, sola composita constituit, pro subiecto habens non ens mistum, Ic illicet Elementa simplicia, fit absq; miscibilem corruptione, estq; ab auctore naturæ ad specierum varietatem, ex qua vniuersi pulchritudo consurgit, instituta.

222. Quoniam verò Mista quædam perfecta sunt, quæ omnibus quatuor, quædā imperfecta, quæ duobus vel tribus tantum Elementis cōstant, solum imperfecta mista, ad aliquid tertium quod sit ens per se, constitutendum, & quidem à sola natura commisceri possunt. Quocirca Alchimichorum & Pharmacopolarum, & Cocorum artificiosæ perfectiorū mistorum coniunctiones, ad quas nulla substantialis forma de novo consequitur, solum accidentaria, non autem substantialia mista constituunt.

De Complexione.

223. QVONIAM perfecta Mista ex primis quatuor corporibus maxima Dei sapientia, non modò secundùm qualitates, sed etiam secundùm substantias refractas coaugmentata existunt, duplice in illis complexionem, videlicet Substantialem & Accidentalem distingue-relicet.

224. Potes̄ autem SVB STANTIALIS COMPLEXIO statutus seu terminus commisionis Elementorum secundùm substantias alteratorū, Vel, Symmetria seu commensuratio primorum corporum in misto existentium, definiri.

225. Quia

225. Quia verò primæ qualitates in misto eandem cum suis subiectis permissionē, intensionem & remissionem subeunt, ACCIDENTALEM COMPLEXIONEM, In misto, primarum qualitatum, statum, seu constitutionem dicere possumus.

226. Ex dupli Mistorum genere, homogenio & heterogenio, dupli-
cem quoque complexionem statuendam esse colligimus: Vnam simplicem,
qua ex primorum corporum commissione, homogenia constituitur. Alte-
ram Permistam, quæ ex specie diuersorum homogeniorum naturali com-
positione coalescens, mistum heterogenium efficit.

227. Quoniam autem animantia, non solum ex partibus homogenijs, vt
carne & ossibus, sed etiam ex heterogenijs & officialibus, vt corde, cere-
bro & cæteris specie distinctis, inuicemq; subordinatis partibus & mem-
bris compacta sunt, & horum inter se commensurazione totius viuentis cō-
plexio effectiuè exoritur, quæ quia à præcipuis membris, reliquis parti-
bus communicatur, INFLVXA complexio dici solet.

228. INNATA verò complexio, dicitur illa corporis constitutio,
quam ex semine maioris, vel minoris perfectionis, viuens quodlibet in or-
tu à generante suo communicat, secundùm quam sub eadem specie
duorum quodlibet, ab alio nativa perfectione distingui contingit.

229. Quandoquidem formæ substanciales, vt se mutuo perfectione su-
perant; sic etiam quilibet sibi proprium & perfectione commensuratum
subiectum depositit, ad numerum formarum substancialium specie distin-
tarum, complexiones quoq; multitudine & perfectione differentes esse,
necessæ es.

230. Hoc autem non solum de formis ultimatis diuersorum mistorum,
& de formis subordinatis partium & membrorum, verūm etiam de for-
mis earum substancialium, quæ non tam partes, quam partium proxima
semina, vel virtutum naturalium immediatæ sedes, & organa sunt, scilicet
de formis Vtriusq; Bilis, Sanguinis, & Pituitæ; Humidi quoq; Spermati-
ci & Radicalis, nec non Vitalis & Animalis Spiritus, affirmari volumus,
propriamq; singulis complexionem tribui.

231. Licet Complexio in mistis homogenijs primorum corporum, in he-
terogenijs partium diuersorum homogeniorum, in viuentibus quoque &
animantibus partium heterogeniarum & membrorum officialium certa-

quædam commensuratio sit, atq; proportio; hanc tamē non in indiuisibili, sed in quadam latitudine cōsistere existimamus, intra quam Mistum, sua forma, subinde à sanitate ad infirmitatem, & è contrario, subire alterationem potest.

232. Cūm porrò existimemus complexionem, non esse Misti formam substantialē, sed tantū materialem, ad formam Misti educendam proximam dispositionem, eiusq; immediatum subiectum; Complexiones omnes absq; formis mistorum spectatas, inter se non specie, sed numerotantū, & inæquali temperie Elementorum, differre dicimus.

233. Quamvis hæc de substantiali complexione ita se habeant; quoniam tamen non nisi per accidentia substantiæ nobis innotescant, Physici, Complexionem tantū in harmonia primarum qualitatū, quod omnibus istæ manifestæ sint, explicant.

234. Hanc verò in qualitatibus spectatam Complexionem, licet omnes ex primis quatuor qualitatibus coalescere concedant; quidam tamen eam nouam, ex illis ortam, formamq; misti consequentem Qualitatem esse; Alii verò ipsas met Qualitates refractas Complexionem esse, mistiq; forma materia præcedere afferunt; quam postremam sententiam, nos ut magis probabilem amplectimur.

235. Tametsi Qualitates ad hanc complexione constituendam, singulæ æqualibus partibus concurrere, & Complexionem Äqualem ad Pondus efficere possunt; quoniam tamen aliquod Elementorum actiuitate sua in omni mixto prædominari necesse est, nunquam Elementa secundum virtutes æqualia, ullius formæ complexionem constituere possunt.

236. Vtrum verò Complexio Äqualis ad Iustitiam detur, dubium est: Illud tamen pro certo afferimus, nobilioris formæ operationibus, complexionem qualitatum præstantiorem à natura tributam esse; quam tamen complexionem sub qualibet specie latitudinem habere, cuius extremitates indiuidua inæqualitater accedant, credibile est.

237. Sicut autem substantialis, sic etiam accidentalis Complexio, quædam est prima, & simplex, quæ ex primarum qualitatum commissione, in partibus homogenijs exoritur, cuiusmodi est caliditas & humiditas carnis, & sanguinis, &c. quedam est ex huiusmodi diuersis complexiobus resultans, ut natiua caliditas & siccitas cordis, & humiditas ac frigiditas

ditas cerebri; quedam deniq; ex membrorum officialium actione temperata, ut caliditas spirituum, vitalis, & animalis, in qua postrema, ultimata & quasi totalis complexionis ratio, consistere iudicatur.

238. Signa cōmunia, quibus in cuiusq; complexionis notitiam deducimur, tria sunt præcipua; Color, Odor, & Sapor, quatenus sensum nostrum diversimodè mutare nata sunt. Color itamen fides minima habenda est, hominis autē constitutionē & Physiognomiam ex Respiratione, Arteriarū Pulsu, Locio, & alijs huiusmodi signis, Physici cognoscere consueuerunt.

De Elementis.

239. ELEMENTI nomen amplè sumptum quarumcunque rerum componentia principia significat: Quocirca Primæ Materiæ & primæ Formæ, ex quibus in natura prima compositio constituitur, primò conuenire dicendum est.

240. Quoniam verò naturalis mistorum resolutio, in quatuor Prima corpora ita pedem figit, ut ulterius ad Primam Materiam nihil resoluantur, Elementi nomen & ratio primis illis, ac Simplicibus non immerito tribuitur.

241. De natura istorum Elementorum Antiqui ita sentiebant; simplicia ea esse, & rerum omnium principia. Alij verò mista ex alijs corporibus affirmabant, mistorum tamen naturalia principia. Nos autem cum primis, simplicia esse profitemur; cum secundis, esse Mistorum principia, decernimus.

242. Definitur ELEMENTVM corpus simplex, ex quo Misto componitur primo inexistente, indiuisibili specie in aliam speciem. Ex qua definitione primò colligitur, mistorum materiam proximam Elementa esse, nec secus ac materia in composito, Elementum quoq; in mixto ablu permanere.

243. Consequitur præterea in genere corporum, Elementa primam compositionem constituere, & Mistaplus ipsis Elementis composita esse.

244. Fallitur Empedocles, qui Elementa omnicompositione carere voluit, & Democritus, qui ea ex Atomis, & Plato, qui Elementa ex figuris componi afferuit, quamvis Platonē hoc sensu mystico dixisse verisimile est.

245. Illi nihilominus, qui aut unum aut plura Elementa cæterorum materialiam

^{Statuerunt} teriam priorem, non immerito rei ciuntur à Philosopho, qui illis omnibus materiam priorem, & à primis formis inseparabilem (quam πάντες seu omnia recipientem Plato vocabat) constituit.

246. Vnam autem omnibus Elementis communem esse materiam, ex mutua inter se transmutatione ostendit. Non tamen singulis aequalis Materiae portio inest, sed in aequali dimensione, inferiora superiobus, plus de Materia participant.

247. De forma Elementorum magna est dubitatio: Nos breuiter, aliorum prætermissis opinionibus, cum Alexandro, qualitates motiuas formales eorum affectiones esse existimamus; cum Auerroë, qualitates primas eorum esse passiones materiales; cum Latinis deniq^{ue}, tertiam esse eorum formam substantialem, constanter asseueramus.

248. An vero substanciales formae horum corporum intendi ac remitti possint, controuersia est: Nos sic statuimus, per se quidem existentia Elementa magis & minius non suscipere; secus vero, quando ad mistum constituendum conueniunt.

249. Docet enim Aristoteles, quamlibet misti partem, ex 4. primis corporibus, non secundum substantiam saluatis, neq^{ue}, corruptis, sed tantum secundum formas, & qualitates refractis, seu remissis mistam seu compostam esse.

250. Ex quibus rectè consequitur, Elementa corruptioni esse obnoxia, quod nos ea Limitatione concedimus, vt licet eorum partem quamlibet, nunquam tamen totum aliquod Elementum interire posse admittamus.

251. Cum vero corruptio unius Elementi, alterius generatio sit, eadem in se inuicem transmutari, posse necesse est; quod tamen inter Symbola, quam inter Assymbola facilius fieri, docet Aristoteles.

252. Numerum Elementorum tam ex locorum differentijs, quam ex primarum qualitatum legitimis coniunctionibus, nec ultra, nec infra quaternarium constituendum esse, manifestè colligitur.

De Motiuis Qualitatibus.

253. **D**VPLICES Qualitates Elementis insunt, quædam locali motui, quædam alterationi & generationi inserviunt; ille sunt grauitas

grauitas & leuitas, tam simpliciter quam secundum quid; istae sunt calor, frigus, humor & siccitas.

254. Definitur ab Aristotele CORPVS LEVE simpliciter, quod omnibus, quæ sursum feruntur, supereminet, qualis est ignis: GRAVE, quod omnibus substat, qualis est terra: Leue autem & Graue secundum quid, partim supereminet, & partim substant, ut aëris & aquæ.

255. Licet Aurum sua grauitate, citius quam Terra deorsum feratur; quia tamen ultra locum Terræ demissius ferri non potest, nequaquam grauius esse quam Terra dicendum est.

256. An verò Mouentes qualitates, Alterantibus priores sint, dubitari solet? nos istas generationis ordine præcedere, illas verò subsequi, perfectione tamen, Motiuas priores esse, iudicamus.

257. Motiuæ qualitates, cùm Elementi substanciales formas, quatenus in densiori vel rariori materia sunt, consequantur, secundario solum ab Actiuis qualitatibus caußantur.

258. Ex quo rectè sequi videtur, grauitatem Terræ & Aquæ, & leuitatem Ignis & Aëris specie distingui, sicuti formæ, quas ut propriæ passiones consequuntur.

259. Neque verò, quod Aquan non sit grauissima, neque Aëris leuissimus, horum qualitates, contrarijs affectionibus permistas, sed potius simplices esse, cum Aristotele ponendum est; licet cum extremis si conferantur, misita videri possint.

260. Quæri solet: An ex externo impulso Aëris facilius deorsum, quam sursum feratur? Nos Aërem, qui circa nos est, quia peregrinis ac grauibus vaporibus est permistus, facilius deorsum ferri existimamus; purum autem Aërem ad utramque differentiam æqualiter inclinari.

De Qualitatibus Actiuis Elementorum.

261. AGENTES primorum corporum qualitates, quatuor tantum à Philosophis enumerantur, Calor, Frigus, Humor & Siccitas, quæ formas Elementorum in materia, tanquam requisitæ dispositiones præcedunt.

262. Duabus ex hisce qualitatibus Elementum quodlibet exornatum existit. Nam Ignis calidus & siccus: Aëris calidus & humidus: Aqua

E frigi-

frigida & humida: Terra sicca & frigida est: ex quarum in mistis coniunctione Colores, Odores, Sapores, Durities & Mollities, ac huiusmodi plures secundæ qualitates enascuntur.

263. Non est afferendum, Symbolas affectiones duorum Elementorum, ut Calorem Aëris & Ignis, specie distinctas esse, propter multa incommoda, quæ talem positionem sequerentur.

264. An verò quodlibet Elementum, utramque qualitatem summè perfectam obtineat, dubitant Philosophi. Auicenna extrema Elementa, utramq; affectionem summam, media verò utramque remissam habere existimat.

265. Latini alterā in singulis remissam, & alterā intensam esse afferunt.

266. Verùm Mansilius remissam qualitatem contraria permista afferit, quod non admittunt ceteri.

267. Nos ex mente Aristotelis in quolibet Elemento ambas qualitates intensas & perfectas esse, unius tamē actionem supra alteram, propter materiæ diuersitatem, in quolibet magis elucere dicimus.

268. Quamuis aliqui siccitatē & frigiditatē tantū priuatius qualitates dixerint; nos tñ eas positiuas esse cum præcipuis Philosophis afferimus.

269. Qui præter dictas affectiones, alias quasdam virtuales, istis persimiles in elementis effinxerunt, nobis non recte sentire videntur.

270. A quonam Aqua calefacta in frigus pristinū reducatur, plures sunt opiniones. Illi nobis rectius sentire videntur, qui hoc Aërem ambientem efficere dicunt; omitto iā illos, qui non magis substantiā Aquæ calefieri posse, quam ignem frigefieri, existimātes, dicunt solos Vapores, Aquæ permistos calefactos fuisse, quos ab aqua frigida rursus frigefieri existimant.

271. Num autem Elementa, ut actu per se existunt, pura sint; an vero sint omnia permista, difficultate non caret; nos quamuis ea secundum substantiam impermista, secundum qualitates tamen nullum ex integro purum esse concedimus.

De motu locali Elementorum.

272. MAGNA est controuersia inter recentiores Philosophos, à quonam Elementa actiū moueantur; multi illa effectiue à Generante, quidam à seipsis moueri volunt.

Nobis

273. *Nobis neutra sententia probatur: Licet enim Elementis actuum & internum motus principium tribuamus, quia tamen sunt corpora simplicia, principio quo à se effectuè moueantur, carere dicimus.*
274. *Mouentur autem ratione medij ab ipsis primò moti. Terra siquidem grauitate aërem vel aquam deprimens, aut diuidens, ipsa quoque simul deorsum fertur.*
275. *Rectè nihilominus Aristoteles motum horum corporum generanti tribuit: Cùm enim illa extra sua loca generari contingit, vñā cum natura, qualitatem, qua ad loca propria ferantur, à generante recipiunt.*
276. *Motus autem violentus projectorū, non ab aliqua virtute, per manus illis impressa, sed ab aëre violenter impulso, projectum secum asportante perficitur.*

De singulis Elementis in specie.

De Igne.

277. ***I**GNIS elementum Cælo proximè subiectum dari, licet manifestis signis probari non possit, cū tamē, quo nos utimur, ignē videamus alijs corporibus etiam æreis supereminere, contra communem philosophantium sententiam, sphæram ignis inficiari, dico temerarium.*
278. *Quamvis Ignis Cælo proximè collocatus sit, nullum tamē aut ipse Cælo aut Cælū ipsi incommodum adfert; quinimo Ignis à Cælo ut à loco proprio fouetur, cui raritate, puritate, nec non agendi virtute similimus es.*
279. *Licet Ignis si purus sit, nihil habens in se terreste ob magnam sui raritatem non luceat, quod etiā Cœli partibus, que Astra non sunt accidit; admistus tamē cum materia crassiore, lucet, & Astrifera corpora imitatur.*
280. *Quamobrem flamma & Ignis, quonos utimur, purus censi non debet; sed corpus mistum, in quo tamen Ignis magis dominatur. Lx enim rebus caducis secunda qualitas es, mitionem primarum consequēs; vnde & squamæ quædam pīcium, cattorum oculi, vermes quidam, lapides & ligna quædam putrida, lucere cernuntur.*
281. *An verò purus Ignis vim combustiuam habeat, quibusdam problema es. Nam Ignē in densa materiam agis, & in rara minūs vrere, & candens ferrū & stuppā ardens indicat. E contrà verò Ignem tenuem ve- locius cætera Elementa absumere, vis Fulminis & ratio docent; nam passi-*

uæ materiæ densitas, virtutem agentis formæ minuere videtur; nos autem partem veriorem iudicamus.

282. Multis modis potest Ignis in his inferioribus oriri. Cum enim corporibus mistis ignis actu contineatur, ex ijs, in quibus ignis alijs Elementis prædominatur, ut ex Silice & Calybe, sola Affricatione aut Collisione facile excitari & foras educi potest.

283. Quod autem ex Silice excusus Ignis, non ex attrito Aëre circumfuso, sed ex substâlia silicis eliciatur, indicant excussæ Scintillæ, quæ lucent ac ardent; quod Ignis ex Aëre factus, propter materiæ raritatem minus praestare posset.

284. Potest præterea Ignis & à sibi simili generari, & à radiorum Solis in unum punctum cōgessione produci, quod Archimedes calybeis concavisq; Speculis facilitare consueuerat: Similiter calidi vapores ex circumstante frigore calorem in ipsis per reflexionem multiplicante, facile igniri solent.

De Aère.

285. Ex admirandis in natura, maximè mirabilia fiunt in Aëre, qui cum vix ullo sensu percipiatur, pluribus tamen sensibus inseruit, omniq; animanti ad respirandum maximè omnium est necessarius.

286. Natura sua calidus & humidus est, terminisq; externis facilmente coercetur, quamuis propter tenuitatem materiæ; non æqualiter cum Aqua humectare videatur; Raritate quoq; & Leuitate Ignis est proximus, & mobilitate sua ad impediendum Vacuum aptissimus.

287. Quamuis sit mirandum, quomodo agitatus Aer projecta grauissimac corpora secum asportare queat; magis tamen mirandum est, quomodo à loquente in una sui parte formatu, possit per circuitum in auribus infinitorum adstantium eadem forma resonare: Et multorum ad numerum canentium voces distinctas simul auribus singulorum inferre: Adq; Angulos reflexus, easdem vocem saepius adstantibus repetere.

288. Nec minus in Aëre virtus illa suspicienda est, qua illuminatus colores & alia visibilia potentia visuæ connectit, & repræsentat, ipse tamen à colore nihil affiliatur: Vapores autem Odoriferos, nisi prius ab ipsis infedus fuerit, Olfactui ingerere non possit.

289. Deniq^{ue} Aërem inter cætera Elementa, peregrinis affectionibus & assiduæ mutationi maximè obnoxium esse, infinitæ penè Meteorologicae impressiones indicant; quibus adeò omni ex parte afficitur, ut vix ullæ pars eius, sincera reperiri queat.

De Aqua.

290. **A**QUÆ Elementum cùm sit grauius Aëre & leuius Terra, inter hæc, medium sibi locum naturaliter depositum. Natura sua humida & frigida es^t.

291. Quoniam tamen in salutem Animantium ab Autore Naturæ difusa est, & in certos terræ finis collecta, contingit Aquæ & Terræ, secundum eandem superficiem æqualiter, à Centro Vniuersi distare, & simul figuram Sphæricam statuere.

292. Non tamen Aqua naturaliter ad mundi medium descendet, nisi Terra loco proprio mota, Aqua ei ad impediendum Vacuum succedere cogatur; quod si contigisset, inde naturaliter sursum ad Aëris connexum ascenderet.

293. Ut nullum aliud corpus simplex, ita nec Aqua nutriendi vim habet; ad Sitis tamen calorem extingendum, humectandum & abstergendum, subcalida magis quam frigida conducit.

De Terra.

294. **A**N moles Aquæ tota Terra maior sit, difficile es^t definire: Nos sancè aquam, si non Marinam solam, sed cum illa omnem aliam coniungamus, moli Terræ non minorem iudicamus.

295. Terra grauissima es^t, & situ naturali infima, & veluti Centrum in medio Mundi collocata; Natura sua frigida es^t & sicca.

296. Quamvis, quod sola sit opaca, crassa, immobilis, & à Cœlo remotissima, videatur Elementorum omnium vilissima; quia tamen cæterorum es^t longè fœcundissima, non immerito πανδοκεῖ ab antiquis appellata fuit, eiusq^{ue} nobilitas penes utilitatem æstimata.

297. Non ideo Terra es^t immobilis, quia circum ipsam Cœli rotantur velocissime, sed quod sua grauitate maxima, Centrum Vniuersi occupet.

298. Licet Terræ moles magna sit, Cœlorum tamen orbibus collata, instar puncti paruam esse, docent Mathematici.

IN LIBROS DE ANIMA.

CONCLUSIO 299.

SCIENTIA DE ANIMA PHILOSOPHIÆ NATURALIS PRINCIPALEM PARTEM NON CONSTITUIT; SED AD EAM, QUÆ DE ANIMALIBUS EST, DOCTRINAM, TANQUAM PORTIO QUÆDAM REFERENDA EST.

300. Quem verò locum, hæc scientia in Libris de Animalibus obtineat, licet Philosophi dubitent, nos tamen eam posse Libros de partibus Animalium collocandam esse autumamus.

301. Et quamvis Avicenna de Plantis, quod Animalibus simpliciores sint, priùs esse pertractandum sentiat, rectè nihilominus de Animalibus, quorum operationes (quas ipsi quoq; in nobis experimur) magis sunt nobis perspicuae, Aristotelem priori loco egisse iudicamus.

302. Licet Anima, sicut & aliæ formæ substantiales, quia per se nulli sensui obiciuntur, Intellectum quoq; nostrum subterfugere videatur; Philosophis tamen ex tribus, figura, motu & cognitione, tanquam certissimis indicijs, Anima primum innotuit.

303. Cùm Scientiæ nobilitas penè subiectum & sciendi modum spectetur potissimum, ratione prioris scientia de Anima soli Metaphysicæ cedit; Mathematicis verò solo posteriore; ipsa verò Metaphysicam euidentia, Mathematicā præstantia, cæteras Philosophiæ partes vtrisq; antecellit.

304. Huins porrò scientiæ difficultatem cùm ex alijs quām plurimis, cum verò maximè ex Antiquorum de Anima discrepantibus sententijs ostendit Aristoteles, rectè proinde easdem refellendo, priùs quid anima non sit, quām quid sit anima, declarare instituit.

305. Animam igitur non esse corpus, nec numerum seipsum mouentem, aut harmoniam, aut calorem, aut aliud accidens, neq; etiam diuinam aliquam aut incorpoream substantiam (prout eam antiqui explicant) pulcherrimis rationibus ostenditur.

306. ANIMA ab Aristotele actus primus corporis organici potentia vitam habentis, rectè definitur.

307. Hanc definitionem Animæ tam Vegetatiæ, & Sensitiæ, quām Rationali, conuenire existimamus.

308. Cùm

308. Cùm vitales operationes in viuente eousq; perseverent, quoad Corpori Anima præsens es^t, non immeritò ab Aristotele principium vitæ, Anima nominatur.
309. Quia verò tria illa Animarum genera non eodem modo produci, nec easdem operationes habere, manifestum es^t, ideo nec datam definitio- nem omnibus Animabus vniuocam esse censemus.
310. Rationalis namq; Anima, Philosopho teste, corpori extrinsecus aduenit, reliquæ duæ è potentia materiæ educuntur, hæ per motum Physicum, illa per creationem producitur, anima denique rationalis per seorsim, reliquæ non nisi in corpore existere queunt.
311. Quoniam ad Animam aliasq; formas dilucide explicandas, satis aptum vocabulum non reperit Aristoteles, Entelechia nomen sapienter ipsis attribuit; quod nos, finem, seu perfectionem habitam, vel habitum perfectionis, interpretari possumus; siquidem formam & finem genera- tionis, & materiæ perfectionem esse, manifestum es^t.
312. Cùm autem Anima corpori organico, seu Embrioni, actu in natu- ra existenti, adueniat, Anima non ei vt corpus fit, sed potius corpori, vt vi- uens fit, elargitur.
313. Eos proinde non rectè sentire iudicamus, qui, vt cuilibet Composito tantum vnicam inesse formam tueantur, consequenter afferunt, forma tam corporis quam carnis & ossis, omniumq; membrorum Embrionis, quas magna cum industria, longoq; tempore, Virtus seminalis elaborauerat, ad- ueniente Anima, subito absq; ullo corrupte penitus interire, aliasq; his similes ex nuda materia repente cum Anima consurgere.
314. Licet Anima quælibet totius corporis actus esse dicatur, pari ta- men ratione corporis partes non omnes informat. Ut enim Vegetabilis A- nima partibus singulis viuentis inhæreat, Sensitiva tamen formaliter ossa non informat. Anima verò Intellectuua, sicut es^t in omnibus parti- bus corporis, eis humanum esse, vitam & sensum tribuens, qua tamen ope- rationes Intellectuales exercet, nulli corporis parti alligata existit.
315. Ut aliæ formæ materiales, sic etiam Animæ Vegetatiua, & Sensiti- ua, corporibus è quibus educuntur, coextensæ sunt, & cum ipsis pariter di- uisibiles; Anima verò rationalis, licet esse humanum, quod ab ipsa corpus recipit, extensem fit & diuisibile; quia tamen ipsa è materia producta non es^t,

36.

est, sed spiritualis substantia à Deo creata, per se indivisibilis est, & in toto corpore, eiusque parte qualibet integra subsistit.

316. *Cum autem eius perfectionis sit Anima Rationalis, ut cum organis corporeis Vegetatiæ & Sensitiæ operationes exercere possit, non necesse est tres animas in homine distinctas ponere, sed unam tantum rationalem, duas reliquias suo vigore ac virtute continentem.*

De Facultatibus Animæ generatim.

317. *ANIMÆ facultates plures esse ex discrepantibus ac inter se pugnantibus actionibus, quas Anima exercet, rectè colligimus; Quinq[ue], tamen præcipue enumerat Aristoteles, Vegetatiæ, Sensitiæ, Loco motiæ, Intellectiæ & Appetitiæ; quarum varietas ex eo potissimum desumitur, quod à se inuicem separatae inueniantur.*

318. *Harum facultatum non est unum idemque subiectum, cui omnes inhærent, si quidem potentiae Animæ Intelligentis, ut talis est, soli animæ insunt, quamvis denominatiæ toti composite attribui soleant; reliquæ vero omnes, ipsius partibus inhærescent.*

319. *Vegetatiæ Animæ generandi vis, & omnes Potentiae Sentiætes (tacitu excepto, qui toto corpore, præterquam in ossibus, diffusus est) incertis corporis partibus locatae sunt. Augendi vero & Nutriendi, sicut etiam quædam Appetendi vires, omnibus partibus insunt.*

320. *Neque tamen has Potentias ab Animare distingui arbitramur, sed tantum ratione, ita ut Potentiae ad Animam relatae, nihil aliud sint, quam ipsam et Anima intrinsecè & formaliter multa operandi vi prædita, ex ipsam et Anima intrinsecè & instrumentariè à diuersis organis, quibus cum Anima inesse est, diuersa operari apta est, distinctarum potentiarum denominatio nem sortitur; quæcaussa etiam est, quamobrem Animam in nullo causarum genere, potentiarum principium esse existimus.*

321. *Non solum autem potentias ad Animam relatas, cum ipsius essentia identificari dicimus, sed ut corpus spectant omnes ex uno principio corporeo nempe ex corde, à quo sicut ex fonte calorem & Spiritum quibus operantur participant, oriri, cum Aristotele, aduersus Galenum assertimus.*

322. *Potentiarum Animæ distinctio ex multis desumitur; nam quædam materiales*

materiales sunt, utentes organo corporeo; quædam immateriales, nullo organo subiectuè indigentes. Aliæ Agentes, Vegetatiuas dico & Motiuas; alia Patientes, Sensitiuæ nimirum & Intellectiuæ; quædam per totum corpus dispersæ; quædam in certa aliqua, alia in nulla parte locatæ periuntur. Quædam sunt necessariæ ad esse, ut inter vegetatiuas Nutritiuas, & inter Sensitiuas Tactus; quædam ad bene esse, Augmentatiua scilicet & Generatiua, & Sensitiuæ reliquæ; quædam denique dependent ab alijs, quædam minime.

De Anima Vegetante.

323. **I**NTER Animæ potentias, quæ Vitalis & Vegetatiua dicitur, quòd pluribus communis sit, & fundamentum reliquarum, naturæ ordine, locum primum obtinet; cuius Obiectum est alimentum; Finis proximus, operatio triplex, Nutritio, Accretio, & Generatio; vltimus vero perfectio, & conseruatio viuentis.

324. Addictas operationes exercendas viuentis corpus simplex esse nequaquam potuit, sed ex primis quatuor concretum; multitudine insuper partium ac membrorum figura, & complexione discrepantium, exornatum esse debuit, quamvis in aliquibus hæc à nobis difficile discernantur.

325. Quoniam Viuere viuentibus est esse, per Aristotelem, VITA non tam operatio, quæ nutritione & accretione exercetur, quam Esse, quod anima viuenti tribuit, dicenda est: Vnde & præsentia animæ in corpore, vita à nonnullis dicitur.

326. Ea vero omnia ac sola Viuentium numero continentur, quæ ab interno principio nutriuntur, crescunt & generant; quæ cùm etiam plantis conueniant, non rectè Stoici sola animalia viuere asseruerunt.

327. Ex triplici HVMORE, qui in viuente cernitur, Elementari, Alimentitio & Radicali, seu primogenio, postremus hic caloris, quo proximè viuentis anima seu vita conseruatur, pabulum est, ac velut ifundamentum.

328. Num autem CALOR VITALIS ab elementari specie diuersus sit, inter Philolophos dubium est: Mihi placet utrumq; eundem dicere; qui ut est in corpore simplici, Elementaris calor dicitur; idem ut sit à lumine, calor Astrorum; ut à mixtorum calida complexione proce-

dit, calor Virtualis; ut à viuentis anima, ad operationes varias exercendas dirigitur, Vitalis calor dictus est.

329. Quamuis ex Hippocratis sententia triplex in animali SPIRITVS constituatur, quorum unus, qui animalis seu sensitivus dicitur, in Cerebro; alter, qui Vitalis appellatur, in Corde; tertius, quem Naturalem vocant, in Hepate generetur; rectius tamen Peripatetici, secundum Substantiam unicum tantum spiritum, ex Corde originem ducentem constituunt, qui ad diuersas operationes exercendas ab anima directus, & varijs modis attemperatus, diuersa quoque nomina induit.

330. Causa interna VITÆ LONGIORIS, est primarum qualitatum, & cæterorū membrorum officialium, respectu cordis iusta proportio: Externæ causæ, ad Alimenti, & Cœli temperiem, cuiusq; complexioni accommodatam, nec non ad exercitiorum moderationem, reduci possunt.

331. Inter subiecta longioris vitæ, genus plantarum animalia superat; Inter plantas Olea, Palma, Ulmus & Cupressus excedunt reliquas; Inter animantia à terrestribus superantur Aquitilia, & à sanguineis, sanguine cassa, inter quæ dicitur Apis cætera superare: In terrestribus, quamvis Elephas, Ceruus & Coruus longæ vitæ sint; Homo tamen, qui finis est omnium viuentium, nisi peccatum & vicius intemperantia impedirent, vitæ esset longissimæ.

332. Longioris vel brevioris vitæ signum est corporis constitutio, secundum qualitatum temperiem, membrorum quantitatem, carnis mollietatem, cutis densitatem, coloris qualitatem, respirationis facilitatem; idem quoq; ex nutritionis & accretionis modo colligitur.

333. ÆTATES hominum, ad planetarum numerum, septem cōstituunt Mathematici; alij quatuor anni temporibus ætatem accommodant. Medicis incrementi tempora spectantes similiter quatuor, ætates constituant. Aristoteles triplici, vigoris, scilicet, consistentia, & senectutis, ætate contentus est.

334. MORS (quæ in homine tantum separatio, in alijs vero animæ interitus est) omnis quidem, ratione subiecti, naturalis est; ratione tamen modi & temporis, aliqua peculiariter est violenta, illa etiam, quæ via naturali per consumptionem humidi, vel extinctionem calidi contingit, multis de causis violenta dici potest.

335. Ideo

335. Ideo verò Brutorum corpora, non tota simul priuantur vita, quia anima eorum corpori coëxtensa, secundum extremas partes primo corruptitur. Hominis autem anima, quamuis sit indivisibilis, quia tamen temperies, qua corpori vnitur, successiue destruitur, non simultotum corpus deserit.

336. POTENTIA GENERANS à cæteris Vegetatiuis distincta est, nec omnibus viuentibus tributa, quæ in Semine (quod ultimi alimenti est superfluitas) ut proprio instrumento residens, sanguine menstruotanquam materia vtitur.

337. Activa virtus generationis, per Aristotelem in solo mare consistit, qui genitaram subministrat seu semen; quod licet à corpore totius animantis decidatur, animatum tamen non est.

338. Animæ tamen vices in formatione, fœtus supplet, & Brutorum animam producendi vim habet, qua producta, actione nimia in vapores dissolutum, ab animante generato excernitur.

339. NUTRIENS facultas est, qua viuens alimento in propriam substantiam conuertit. Ore siquidem assumptum cibum, ventriculo in chylum digerit; quem hepatis officio, in quatuor humores partitur.

340. Ex quibus utraque bilis in distincta loca se recipiunt: Sanguis verò & pituita in corde magis digesta, ad omnes animantis partes nutritiendas transmittuntur.

341. Huic nutritiæ plures potentiae famulantur, seu ipsa potius ex pluribus potentijs integratur, videlicet ex Attrahente, Digerente, Retinente, Discernente, & alimenti superfluitates Excernente, quas non tantum internis & officialibus membris, sed etiam omnibus, quæ nutriuntur, inesse dicendum est.

342. ALIMENTVM, ut nutritionis idonea sit materia, nutrientis actioni subiectum esse debet, inq, naturam eius aptum conuerti. Quod enim qualitate aliqua Nutritiæ non obedit, Medicamenti, aut Venenipotius, quam Alimenti loco habendum est.

343. Ut Elementa simplicia nihil nutriunt; sic et ijs complexa, quæ facile in unum aliquod Elementorum resoluuntur, modice nutrire dicuntur; quæ verò alimenta calida & humida sunt, naturam temperatam maxime nutrire apta sunt: Intemperatae vero complexioni secundum excessum

40

sum qualitatis diuersa alimenta conueniunt, etatis quoque & anni diuersis temporibus diuersi cibi feligendi sunt.

344. Ex alimento, primi 4. humores, Flava & Atra bilis, Sanguis & Picta, per nutricem facultatem, hepatis officio segregantur; quorum cum nullus anima praeditus sit, Animalis pars propriè, neq; etiam excrementum dici potest. Verum cum ad Animalis perfecti constitutionem omnes requirantur, eius propinquam materia constituuntur.

345. ACCRETIO à Nutritione eò potissimum distinguitur, quod ab extensione, quam ex appositione alimenti viuens acquirit, nomen & rationem acceperit, habens pro obiecto alimentum, prout conuersum in substantiam, viuens augere aptum est.

346. Non quia virtus Accretionis, postquam viuens ad perfectam statutam perduxit, ulterius operari cessat, otiosa dicenda est; siquidem illud solum, quod ante finem consecutum, ab operatione desistit, vere otiosum dicitur.

De Anima sentiente.

347. ANIMA sensuua, qua plantas Animalia superant, non eiusdem perfectionis omnibus animantibus inest. Quamuis enim cunctis sensu tactus communis sit; ceteræ tamē sentiendi vires, non aequaliter sunt omnibus communicatae. Quapropter ad Animalis constitutionem, tactus omnino requiritur; reliqui verò sensus ad animantis perfectionem sunt donati.

348. Quamuis sentiendi facultates, in operando non merè patiantur, sed etiam iudicando ac discernendo sua obiecta, agant; tamen nullum proprium SENSUM AGENTEM, quo vel species sensibiles, vel sensatio producantur, concedimus.

349. Cum verò sentiens potentia sit corporea, nullum indiuisibile sensibile erit; quo tamen sensus aliquis à minori sensibili pati potest, eò perfectior esse iudicatur.

350. ACTVS SENTIENDI (cum non sit Alteratio illa, qua organum ab obiecto immutatur, sed huius Alterationis iudicium & cognitio) nec omnino, nec ex parte efficitur ab obiecto, sed à sola Anima sentiente, ab obiecto excitata.

351. Non

351. Non recte Epicurus afferuit, sensum vera semper dicere; nec Academicci eundem falsa semper pronunciare; optimè autem Peripatetici, eundem errare posse, & vera dicere existimâunt.
352. Organo namque & medio recte dispositis, si obiectum in debita quantitate & situ fuerit, raro sensus iudicium, si attendat, circa obiectum proprium falletur.
353. COMMUNIA porro sensuum obiecta, magnitudo videlicet, numerus, motus, figura, locus, &c. non distinctis à proprietate obiectorum imaginibus, sed ijsdem prorsus, sensibus representantur.
354. Licet SENSIBILIA PER ACCIDENS plura sint, ut pote obiectum unius sensus exterioris, aut interioris, respectu alterius, aut etiam ratione intellectus; priuationes tamen obiectorum sensibilium, neq; per se neq; per accidens sensibilibus adnumerandæ sunt; propterea num à Brutis Animantibus Tenebræ percipiuntur, inter plerosq; dubium est.
355. An vero SPECIES, seu rerum sensibilium imagines, ab obiectis in medium, & per hoc in organum sensus producantur, oppositis sententijs decertant Philosophi; nos sensum ab obiecto per medium sibi unito, immediatè pati, eiusq; similitudine formari dicimus.
356. Medium tamen quia sensituum non est, ab obiecto sensibili non semper immutari afferimus: Ut lumen Solis per medios Cœlos delapsum, sola hæc inferiora, quia calefieri aptasunt, non autem Cœlos calefacit.

De sensibus exterioribus.

De Visu.

357. CVM ea, quæ extra mentem nostram sunt, ad ipsam quinq; tantum vijs ingrediantur, quinque sensus externi numerari solent, visus, auditus, tactus, gustus & olfactus; totidem enim modis anima suum organum diuersis qualitatibus immutari percipit.
358. Inter quos VIS, cæterorum videtur præstantissimus, & quod menti plurimas rerū differentias obijcit, hominibus est longè gratissimus: Quanquam autem homo visu & alijs sensibus, animantibus multis sit inferior: Tactum tamen omnibus vegetiore habet.
359. CUM oculum membranis septem, & tribus humoribus constare Anatomi afferant, dubitari solet, num humores isti animati sint? Nos

sanè cùm partes sint totius oculi, & per ipsos potissimum fiat visio, eosdem animatos esse existimamus.

360. Non assentimur Auicennæ, qui visionem in Nervorum Opticorum coniunctione, exerceri existimat; sed Aristoteli potius & Galeno, qui in Pupilla visum exerceri volunt.

361. Neq; ut Perspectivi Empedoclem secuti afferunt, visio fit per radiorum ab oculo ad obiectū emissionē; nec etiam per emissionem speciei ab obiecto in oculum, ut quidam Philosophantes existimant, sed per immutationem organi ab obiecto, oculum per medium dispositum contingente.

362. Quoniam L U M E N, non solum fugando è medio tenebras, sed etiam humores oculi extenuando, visioni inseruit, fit vt luminis vehementia acutus visus retundatur; hebes autem multum confortetur. Vnde & perspicilijs, ad extenuationem humoris, plus luminis colligendo, senes uti consueuerunt.

363. Obiectum visus C O L O R eſt, qui non eſt lumen receptum in superficie perspicui terminati, ut vult Auicenna (sequeretur enim in tenebris nihil eſſe coloratum) sed eſt qualitas secunda, ex permitione elementorum, quatenus perspicua vel opaca, rara vel densa sunt, resultans; non enim vt fit, sed vt videatur color, lumen eſt necessarium.

364. Ex quibus sequitur, nullum corpus simplex coloratum eſſe. Cū autem in Aere, nubibus, vel Iride colores apparent; ex lumine Solis, vaporis inæqualiter diaphanos penetrante diuersimodè, vel ex aquæ guttulis, solis imaginem referentibus, constituuntur. Dicuntur apparentes, qui areuera nubes coloratae non sunt, sed aspicientibus sic apparent.

De Auditu.

365. P O S T Uſum, Auditus homini reliquis suis sensibus præferendus eſt. Nam ad capessendas disciplinas, & in mutua communicatione consistētem vitam ciuilem, adq; summam beatitudinem, quæ fide ex auditu apprehenditur, conducit plurimum.

366. Quin & delectatio, quæ ex concentu Musico auribus percipitur, eſt maxima, & à brutis pariter, & hominibus expetita.

367. Non extremitatem Nervorum opticorum (quamuis & ipsi audi-
tui

tui inseruiunt) sed Aerem Aurum cauernis ingenitum, proprium auditus instrumentū esse, tenemus.

368. A natuitate mutū, etiam surdum esse docet Philosophus, cuius causam assignat Avicenna, quod cūm quintum par neruorū auditui inseruiens, & sextum par officio linguæ destinatum, in uicem ex parte coniuncta sint, læsionem vnius in alterius detrimentum redundare necesse fit.

369. Obiectum auditus SONVS est, seu qualitas ex percussione corporum sonantium ad auditum vsque realiter in aere producta, cuius generatio, ratione quidem aeris & corporum percussorum videtur esse violentia. Quia tamen facultatis naturalis obiectum est, & collisionem corporum naturaliter consequitur, meritò naturalis dicitur.

370. Cui verò sonus subiectuè inhæreat, apud Philosophos satis dubium est. Nos existimamus cum Aristotele, effectuè solum esse in corporibus sonantibus, subiectuè autem in aere commoto.

371. ECHO est iterata ex auditio vocis, propter obſtaculum, directam ipsius propagationem impediens, rursus ad auditum reflexæ; quæ ratione impedientium, frequentius easdem & plures interdum voces repetere consuevit.

372. VOX est motus aeris ad aspera arteriam, factus ab anima per instrumenta vocalia, ad aliquem internum affectum vel naturaliter, vel ex instituto significandum.

373. Ex quo infertur illa animantia vocem non emittere, quæ aerem non respirant. Fit autem RESPIRATIO per aeris attractionem ore vel naribus, officio pulmonis & diaphragmatis, ad refrigerandum cor, ipsumq; à noxijs vaporibus liberandum.

374. Ad vocē item formandā affectiones animi experimentem vox efficitur; quibus verò natura, pulmones ad respirandum, negavit; ijs per poros corpore transpirationem concessit.

De Olfactu.

375. INTER externos sensus hominis, ODORATVS infimū dignitatis locū obtinet, qui in plerisque brutis ratione odoris alimentitij, ex longiore distantia percipiendi, reperitur sagacissimus; respectutamen odo-rū multiplicium discretionis, odoratus hominis est longè præstantissimus.

376. Odo-

376. Odoratus organum frigidum & humidum à plerisque constituitur, residetq; in duabus carunculis mammillaribus oblongis, ex cerebri substantia generatis, in cuius parte anteriore supra nares collocatæ sunt.
377. Obiectum odoratus ODOR es ē, seu qualitas secunda inhærens mixto, actione caloris, in sicco cōprehenso humido, generata, olfactū immutarenata; differentiæ verò odorum, savorum nominibus declarantur.
378. Dupliciter autem odor per medium ad organum vsq; diffunditur, interdum exhalationi ab odorabili corpore per medium expiratæ insidens; aliquando per actionem realem corporis odorabilis, in aërem circumstan- tem simili odore producendo.
379. An verò Odor nutriendi vim habeat, disceptant Medici? Nos simplicem illam qualitatem, nihil nutrire dicimus; quamuis calore & siccitate virtutis suæ, cerebrum recreare possit.
380. Vaporibus nihilominus, in quibus odor residet, per respirationem attractis, animales spiritus nutriti, & recreari posse, concedimus.

De Gustu.

381. LICET Gustum Tactum aliquem esse doceat Aristoteles, & o-
mne gustabile materialiter tangibile sit; multa tamen tactilia saporecarent; & licet utriusq; finis sit animantis conseruatio, hæc tamen gustui non nisi secundario competit.
382. EST autem Gustus sensus savorum, cuius instrumentum proprium est lingua, saliuæ seu capitum humore continuo ac naturaliter diffluente, disposita; propterea gustus complexionem aqueam esse, Philosophus afferit, estq; sensus iste omnium tardissimus, magis tamen, quam odoratus, necessarius.
383. Obiectum Gustus SAPOR es ē, actione caloris ex humoris aquæ, cum siccitate terrestri, permistione generatus. Hinc est quod simplicia corpora gustum non afficiant, sed omnia sapida, vel perfectè, vel imperfectè mista esse debeant.
384. Ex varia mistorum complexione, savorum diuersitas exoritur. Nam ex calida, Amarus, Salsus & Acer; ex frigida, Acidus, Austerus & Acerbus; ex media Pinguis & Dulcis (qui cæterorum comparatione medijs savoris dicuntur) originem ducunt.

De tactu.

385. **E**os non rectè sentire iudicamus, qui tactum sensum esse generum afferunt, tot specie distinctos tactus, quo contrarietates à tactu percipiuntur, continentem.

386. Cùm enim cæterorum sensuum tactus sit fundamentum, in toto Animante cum vna anima sensitua, vnicus etiam tactus pariter diffusus est, cuius subiectum, totum corpus animalis, sensitua informatum, meritò dici potest.

387. Posset TACTVS definiri, sensus immutationis temperiei, à primis qualitatibus, vel temperatricis corporis compressione, vel continuitatis dissolutione, exortæ.

388. Organum tactus diuersis in locis triplex assignatur ab Aristotele, Cor, neruus, caro, quam etiam medium tactus appellare consuevit; nos totum corpus Animantis, & singulas partes eius, ossibus exceptis, tactiles qualitates immediate percipere existimamus.

389. Dictos quinque sensus possidere ANIMANTIS PERFECTI signum est; item posse sibi simile generare, sanguinem habere, & respirare, ex se loco moueri, internis sensibus non carere.

De sensibus internis.

390. **D**e sensibus internis Græci Philosophi scripsere paucissima; Arabes, à quibus Latini mutuati sunt, plurima; quorum communis sententia quatuor huiusmodi sensus constituit, Communem sensum, Imaginationem, Aëstimatuum & Memoriam.

391. Hanc internorum sensuum numerum sic colligunt. Nam ad discernendum obiecta & actiones sensum externorum, Communem sensum; ad prosequendam escam absentem, Imaginationem; ad separandum utile ab inutili, amicum ab inimico, Aëstimatuum seu Cogitatiuum; ad præteriorum recordationem, Memoriam ac Reminiscentiam requiri afferunt.

392. Quin etiam diuersis in locis capitis, sensus istos constituunt, duos siquidem priores, in parte cerebri anteriore; Aëstimatuum in media; in occipite Memoriam collocant, & rerum sensatarum formas in spiritibus animalis residentes, ut his sensibus vicissim obijcantur, è loco in locum migrare afferunt.

393. Hanc doctrinam, quæ in Scholis trita es^t, probabilem iudico: Si tamen quod dicitur diligentius inspiciatur, neque Aristoteli, neque rationi fatis consentire videtur.
394. Siquidem Aristoteles omnes animi potentias, à solo corde, spiritum animali subministrante, vult procedere; in alijs tamen partibus, ut diuersis operationibus adaptentur, spiritus temperari concedit.
395. Item quas isti actiones singulis his sensibus aiunt esse proprias, Aristoteles indifferenter, modò vni, modò alteri attribuit.
396. Neq^{ue} locorum seu Cellularum dictam distinctionem in cerebro, expertissimi Anatomici (quibus in arte propriacredendum es^t) reperiunt.
397. Sed duas tantum in medio capite, altera in dextram, in sinistram altera vergente, quæ tamen communi fornice obiectæ spiritus, quos continent, mutuo communicant.
398. Qui igitur dictos sensus interiores, reipsa vnam tantum esse potentiam, in eadem parte cerebri operantem, à varijs tamen effectibus, diuersas rationes ac denominationes sortientem, asseueraret, nouum fatasse, non tamen absurdum aliquid dixisse videtur.

De Anima rationali.

399. ANIMÆ Rationalis absolute consideratio, non vnius tantum scientiæ propriae es^t, sed partim à Physico, Morali & Metaphysico, partim à Theologo ex principijs reuelatis cognoscitur.
400. In homine tantum es^t vna Anima rationis particeps, diuinamentes & brutorum animas similitudine referens, istarum tantum operationes corporis ministerio exercens.
401. Quamuis Anima hominis secundum suam substantiam materiæ interitusq^{ue} expers sit; corpus tamen suum, quod ex contrarijs constet, perpetuo conservare non potest, nec semper organicas operationes exercere.
402. Falso ac impie effinxit Averroës, non in singulis, sed in cunctis hominibus, vnicam esse animam intellectuam, eisq^{ue} non vt formam inhærente, sed extrinsecus assistentem, per singulorum phantasmatata intelligere.
403. Theologorum aliqui Rationales Animas non omnes eandem naturæ perfectionem à Deo sortiri existimant; tamen rectius dicitur, omnes naturæ bonitate aquales esse; ad inæquales tamen actiones ex corporum distincta

distincta complexione, ex educatione, consuetudine, gratuitisq; Dei donis inclinari.

404. *Est autem ANIMA RATIONALIS substantia inchoata spiritualis, tanquam forma humano corpori vi seminis elaborato coniuncta, tota in corpore toto, & integra in qualibet eius parte consistens.*

De Intellectu.

405. **A**NIMÆ Rationalis facultates præter eas, quas cum brutis cōmunes habet, sunt Intellectus & Voluntas, quæ nec à se, nec ab anima realiter secernuntur.

406. *Divisio Intellectus in Agentem & Possibilem, realis non est, sed idem prorsus, ut ex singularibus, vel minus cōmibus, notiones uniuersales colligit, agens; quatenus verò collectas notiones, & quodvis aliud obiectum cognoscere potest, intellectus possibilis dicitur.*

407. *Quamvis communis sententia, quæ præterphantasmata Internorum sensuum species, seu formas intelligibilium, ab Intellectu Agente ex phantasmatis formatas, & ante cognitionem Intellectus Possibilis requiri, & post cognitionem in eodem perseverare afferit, vtcunq; est probabilis; Theophrasti tamen & aliorum opposita sententia, veritati, & Aristoteli, non minus consentanea videtur.*

408. *Isti nullas humano Intellectui species, ab actuali eius cognitione, seu phantasmatum inspectione distinctas tribuunt, quod ante cognitionem sola phantasmata ad actum intellectionis eliciendum obiectiuè sufficere, & post cognitionem, nullam intelligibilis similitudinem, in intellectu hære-re afferant.*

409. *Sed in naturali & informi sua nuditate remanente solam promptitudinem seu habitum, communes ex phantasmatis notiones eliciendi, per frequentes actus intellectum acquirere asseuerant.*

410. *Consequenter ijdem autores, unicam tantum in homine MEMORIAM, eamq; sensitivam, corruptilia phantasmata conseruantem, cum Aristotele concedunt.*

411. *Post separationem autem intellectus à corpore, omnem quidem acquisitam in hac vita intelligendi materiam, cum phantasmatis interire volunt.*

412. Ex frequentibus tamen actionibus acquisitam in hac vita promptitudinem, seu habitum intelligendi per phantasmatum, vel per ea, quae eorum loco D E V S animæ separatae communicabit, intellectui perpetuo inherere afferunt.

413. Etiam dici potest, Animam separatam scientiam multorum acquirere per doctrinam seu Illustrationem à scientia angelica; huic enim actum anima separata continuò inspiciens, non sècus ac si corpori adhuc unita, Doctorem differentem audiret, de rebus plurimis instruitur, & eò quidem faciliùs, atq; velociùs, quò magis in hac vita scientijs excitata fuerat.

414. Intellectus obiectum vniuersè sumptum est omne id, quod aliquo modo est, siue singulariter in natura existens, siue vniuersè sumptum, intellectui obijciatur, siue etiam sola Imaginatione cohæreat.

415. Proprium verò Obiectum eius est communis notio rei in natura cohærentis, quam ex singularium conuenientia intellectus colligens, operationi siue congruam materiam sibimet efficit, & cognoscendā obijcit.

416. Eum autem in cognoscendo ordinem seruat, ut primò affectiones rerum maximè communium, & priùs singulares, quàm vniuersales cognoscat. In substantijs autem priùs cognoscat complexas, quàm simplices, priùs materiæ immersas, quàm ea carentes, priùs concretas, quàm abstractas.

De Appetitu.

417. QVONIAM Appetitus, imperfectionem quandam in proprio vel alieno subiecto, cum quadam capacitate & inclinazione, ad perfectionem, vel in subiectum proprium acquirendam, vel in alienum transfundendam, importat; Appetitus in Actuum & Passuum (de quo posteriori hic tantum agitur) primariò distribui potest.

418. Cum enim ad acquirendam perfectionem subiectum aptum, absque bono sese communicante, non sufficiat; natura prouida, non minorem rebus Perfectis, ad bonum possessum communicandum, quàm Imperfectis, ad bonum possibile persequendum, & participandum, inclinationem & appetitum indidit, ut nullum in natura patiens absque agente reperiatur.

419. Licet autem Appetitus ad perfectionem inclinans, per modum habitus,

bitus, rebus imperfectis à natura insit; quædam tamen ad exercitium, cognitionem Appetibilis in appetente supponunt; quædam minimè, sed horum fine seu bono ab Auctore solo cognito, in ipsum tanquam sagitta in scopum ab eodem diriguntur.

420. Ex quo Appetitus distinctionē aliam colligimus, in Naturalem videlicet & Cognoscentem, qui posterior rursus in Sensituum & Rationalem diuiditur; siquidem ea, quæ bonum, à se incognitū appetunt, à natura; quæ autem feruntur in bonum cognitum, à sensu vel intellectu proprio, in illud diriguntur.

421. Sensualis Appetitus inter Naturalem & Rationalem (quod absque libertate, boni cognitionem præsupponat) quasi medius consistens, in Concupiscibilem & Irascibilem diuiditur.

422. Vtriusq; autem obiectum est bonum sensibile delectabile, sed illius cum facili & voluptuaria acquisitione coniunctum est; huius verò cum ardua & diffici.

423. Si autem, ut ratione distinguuntur Intellectus & Voluntas ad inuicem, vel Anima cum seipsa, secundum actum volendi & intelligendi, comparetur, cum D. Thoma Intellectum Voluntati nobilitate præferendum iudicamus.

424. Non bene sentiunt, qui Voluntatem potentiam merè passiuam afferentes, actum volitionis, à solo obiecto dicunt elici. Voluntatem enim ab obiecto excitatam cum ipso integrum volitionis effectuam caussam constituere, rectius asseritur.

425. Viciſſim autem Intellectus & Voluntas ad operandum se mutuò excitant: Similatq; enim Intellectus Practicus rem aliquam, ut bonam vel malam voluntati obijcit, hæc eam sponte sua fugit vel amplectitur.

426. Voluntas quoq; Intellectum in rebus dubijs, ut alteri magis parti assentiatur, inclinat; in rebus autem manifestis licet intellectum, ut ijs dissentiat, præcipere nō possit; potest tamen, ne de rebus huiusmodi cogitet, intellectui imperare.

427. Obiectum Voluntatis est Bonum, præsertim ratione appetibile; illud autem magis, in quo maximè bonitatis ratio conseruatur; quale est summum bonum, seu finis ultimus, quæque ad hunc acquirendum media sunt necessaria.

De libero Arbitrio.

428. **D**E Libertate Arbitrij, seu de eo, Quod est in nobis, agit Theologus, ostendens, quem ad actiones supernaturales & ad Diuinam gratiam, concursum habeat; Moralis, ut est principium actionum moralium; Physicus, ut est facultas animae, distincto modo ab alijs potentij naturalibus operans.

429. Liberum interdum sumitur pro eo, quod nullisubiectum, sicut tantum gratia est, quomodo solus Deus, cui omnia & creatas subsunt, liber est; quandoq; ut aduersatur determinationi naturali, cui duplex indifferencia opponitur; Passiva videlicet, qualis est materiae primae respectu cuiuslibet formae; & Activa, quae est libertas voluntatis humanae, respetu cuiusq; boni particularis, quarum illa, imperfectionem, haec vero subiecti perfectionem arguit.

430. Definitur autem LIBERVM ARBITRIVM facultas eligendi quamlibet partem contradictionis, qua homosuarum actionum dominus est, & quodlibet obiectum respuere vel amplecti, aut etiam actum volendi suspendere, aut contrarium ei, quod obijcitur, appetere potest.

431. Origo huius libertatis seu indifferentiae, est tam natura voluntatis, quam obiecti eius: Cum enim nihil in rebus particularibus adeo bonum sit, in quo vel in cuius acquisitione, intellectus non aliquam rationem mali, aut minus boni; nec aliquid tam malum, in quo non rationem boni, saltem apparentis, reperire queat, hinc Voluntas rem quamlibet vel appetere, vel fugere potest.

432. Huiusmodi Libertatem in homine esse, non solum Aristotelis auctoritate, sed etiam ratione comprobari potest; siquidem hac sublata, omnis Deliberatio, Honestas, & Iustitia ex hominum vita penitus tolleretur.

433. Obiectum Liberi Arbitrij vniuersè dici potest, omne id quod sub deliberationem & electionem cadit; cuiusmodi res & contingentes esse, & sub nostram posse directe vel indirecte potestatem cadere, requiritur. Unde circa res necessarias aut impossibiles, locum non habet.

434. Bonum porro, quod voluntas simpliciter refutare non potest, est bene esse hominis; quod licet absolute in Deo continetur, quia tamen hoc in presenti vita evidenter intelligere non valet, etiam Deum ipsum respuere potest; nec potest voluntas suum malum simpliciter appetere.

435. Beati

435. Beati verò in Cælo, licet summum bonum corā & euidenter contemplentur, eo tamen fruuntur non coacte, sed liberè; non quidem libertate contingentiae, quasi vel D E V M non amare, vel actum amandi suspenderem possint, sed quadam libertate complacentiae, quam vocant.
436. Intellectum & Voluntatem, quatenus eandem cum anima naturali dicunt, Subiectum liberi arbitrij esse, dubium non est; qua tamen à se in uicem ratione distinguuntur, originaliter tantum ab intellectu, compleiuè à voluntate libertas procedit.
437. Hæc Libertas arbitrij in tribus potissimum reperitur, in Homine, Intelligentia, & D E O; quanquam in D E O ratione actionum ad intra, & in Intelligentia ratione actionis beatificæ, tantum sit libertas cōplacentiae; in actionibus tamen ad extra, libertate contingentiae D E V S excellentissimè fruitur.
438. Potest autem Libertas hominis ex intemperie corporis, animi perturbationibus, ignorantia, morbis, aut alijs prauis animi habitibus, aut externis accidentibus, multum obscurari, impediri & imminui.
439. Ab essentia tamen Animæ Rationalis Liberum arbitrium auferri nequaquam potest; licet actione Cæli, aut alio accidente depravata cogitativa, & intellectu impedito (ut in amentibus contingit) usus eius penitus anferatur.
440. Quamuis deniq; gubernationi diuinæ Voluntas hominis subijciatur; eam tamen adeò suauiter ad modum suæ naturæ mouet, ut de sua libertate nihil omnino ipsi decedat, à cuius benigna gubernatione, si nos impie nunquam subduceremus, per viam mandatorum suorum, reclamans in eternam beatitudinem dederet.

AD LAVDEM DEI, VIRGINISq; MATRIS.

Has Theses perlegi, easq; utiliter typis mandari posse iudicaui,
 GREGORIVS DE VALENTIA Societatis
 IESV SS. Theologiae Doctor & Professor ordinarius,
 & facultatis Theologice protēpore Decanus.

M. VALENTINVS ROTMARVS Oratorie Professor ordinarius
 loco Decani vidit, & approbavit, & doctissimas hæc Theses, ut imprime-
 rentur, dignas iudicauit.

BSB:

